DE

REBUS GESTIS REGUM BITHYNORUM
USQUE AD PRUSIAE I. MORTEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE

LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE V. MENS. IULII A. MDCCCLXI

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS NOLTE

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

BERNHARDUS DOERDELMANN, DOCTORAND.
ADOLFUS GLOEL, CAND. PHIL.
GUILHELMUS ZIMMERMANN, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.

DE

REBUS GESTIS REGUM BITHYNORUM

SCRIPSIT

EDUARDUS NOLTE.

PARS I.

HALIS

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, MAXIMOPERE
COLENDO,

RUDOLFO DE SYDOW,

REGI BORUSSORUM AB INTERIORIBUS CONSILIIS,
MAGISTRO ADMISSIONUM,
LEGATO PUBLICA AUCTORITATE AD ELECTOREM HASSIAE
MISSO,
ORDINIS AQUILAE RUBRAE II
FRONDE ILIGNEA STELLAQUE ORNATAE EQUITI,
MAIORIBUS
ORDINUM DOMUS REGIAE ZOLLERANAE,
CORONAE FERREAE, LEOPOLDI ETC.
INSIGNIBUS DECORATO,

HUNC LIBELLUM

PIETATIS SUMMAEQUE OBSERVANTIAE TESTEM

ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Bithynorum regum res gestas peculiari libro scribere, animum induxi primum quidem, quia admirabar, quanta virtute ii reges quum a Cala, Alexandri praefecto, tum vero adversus potentissimos reges, Lysimachum et Antiochum, libertatem suam tuiti essent; deinde vero, quod, quum rebus earum civitatum, quae post Alexandri magni mortem ex ruinis, ut ita dicam, imperii Persici sunt constitutae, cognoscendis atque investigandis operam navarem, rerum Bithynicarum memoriae ne uno quidem libro abunde satisfactum esse mihi persuaseram.

Vaillantius enim in libro, qui inscribitur „Achaemenidarum imperium sive regum Ponti, Bosphori et Bithyniae historia ad fidem numismatum accomodata,“ Paris. 1728. II p. 295 sq. non potius historiam scripsit regum Bithynorum, quam graviores tantum composuit scriptorum locos, qui spectant ad res Bithynicas.

Sevinus *) vero, quippe qui quum Graecorum fabulas, tum suas coniecturas iusto saepius pro re comperta haberet, copiosius quam acutius Bithynorum res scripturus morte impeditus est, quominus librum conficeret. Mortuo autem Sevino anno 1741 plures quidem viri docti singula, quae iusto loco indicabo, accuratissime perscrutati sunt,

---

*) Quae a Sevino in lucem edita sunt, exstant in voluminibus illis, quae inscribuntur: „Memoires de l'Academie des Inscriptions et de belles lettres“ Vol. XII p. 316—338, Vol. XV p. 21—37. Vol. XVI p. 141—152.

nemodum vero, quantum scio, rerum Bithynicarum memoriam libro complecti sibi proposuit.

Equidem igitur consilium persequens quam diligentissime scribendi res gestas Bithynorum quum ita eam provinciam administrarem, ut quas quidem res scriptores gravissimi atque apud omnes pervulgati memoriae tradiderunt, locis tantum laudatis continuo exponerem sermone, quae autem vel ob fidem vel ob dissensionem auctorum vel propter lectionis varietatem dubia mihi visa et a reconditis fontibus repetita sunt, ad ea explicanda ipsa scriptorum verba notis additis accurate perscriberem, liber praeter optatum meum ad tantam molem crevit, ut in fines angustos, quos ne transgrediatur haec dissertatio necesse est, omnino nequeat contractari.

Qua ex re ut me expedirem, librum in duas partes divisi, quarum alteram maioremque — continet vitas Prusiae II., Nicomedis II., Nicomedis III. et duas dissertationes, de aera regum Bithynorum deque statu Bithyniae sub Romanorum imperio — nunc quidem apud me retinere decrevi, primam autem sepositis tamen capitibus, quibus disserui de fontibus rerum Bithynicarum et de situ ac natura Bithyniae, hacce dissertatione offero lectoribus ut specimen historiae regum Bithynorum.

Cap. I.

Origines Bithynicae; Bithyniae status sub imperio Persarum; Doedalsus, Botiras.

Strymonem, Thraciae flumen, antiquis illis temporibus, quae antecedunt bellum Troianum,[1] magna gens et ferox accolebat, a flumine appellati Strymonii.[2] Hi per Teucros Mysosque, qui ex Asia in Europam transgressi plerisque Thraciae gentibus subactis iam ad Strymonem processerant,[3] sedibus depulsi, ut novas sibi quaererent sedes, ad orientem versus migrabant. Qui quum ad Bosporum venissent, cui Mysio[4]) tum nomen erat, quominus longius procederent, mari impediti, peninsulam tenuere, quae proxime ad Asiam accedens Pontum dividit a Propontide. Neque vero, contenti eo domicilio, migrationibus sese abstinuerunt, sed amoenitate allectati orae Asiaticae magnam partem eo fere tempore,[5] quum Thraces plurimum traduntur valuisse

---

1) l. Herodot. VII, 20.

2) Herod. VII, 75. Plin. h. n. V, 32, 41.

3) Haec Teucrorum Mysorumque migratio, ante bellum Troianum facta, eadem est, quae Paeonica vocatur. cf. Herod. V, 1, 13.

4) Dionys. ap. Strabon. p. 566. Schol. Apoll. II. 168.

5) Castor ap. Euseb. Gr. VII, 1174. Sc. Thraces circiter annum 177 post Troica maris imperium obtinuisse constituit. cf. Heyne, Nov. Commentt. Göttg. I. p. 86. Ad idem Thracum maris imperium referenda videntur Arriani verba ap. Eustath. ad Dion. 793.

navibus, in Asiam transvecti sunt.[6]) Ubi Mysis et Phrygibus [7]) partim pulsis, partim, ut in loca se abderent

---

6) Cum Strymoniis aliarum quoque gentium Thraciarum partes in Asiam transgressas esse, inde videtur patere, quod nonnullis Bithyniae urbibus nomina fuerunt *Τράλλια*, *Δία*, *Βοτίειον*. cf. Steph. Byz. s. h. v. et *Νίκαια*. B. Giseke, Thraz. Pelasg. Stämme der Balkanhalbinsel, Lp. 1858. p. 20. N. 102.

7) Quae gentes ante Strymoniorum in Asiam transitum Bithyniam habuerint, quam paucissimis dicam.

Inter Bosporum et Sangarium initio Bebryces incoluisse dicuntur, de quibus scriptores rerum Argonauticarum permulta memoriae prodiderunt, imprimis Apoll. Rhod. eiusque Scholiasta v. 1—163, 752, 758, 780, 794., Eust. ad Dionys. P. 805. Apollod. I, 9, 20. II, 5, 9. Theocr. Id. XXII, 27 sq. Serv. ad Virg. Aen. V, 373.

Sed haec de Bebrycibus memoria ad historiam fabularem spectat. Re vera ea gens, quae fortasse cum Phrygibus est consocianda (Apollod. ap. Strab. p. 678.), Hellespontiaca loca, Abydenorum (Strab. p. 586.) et Lampsacenorum (Charon. Lamps. ap. Sch. Apoll. II, 2.) fines, quibus eam Phocaeenses depulerunt (Plutarch. de mulier. virtt. 18. Polyaen. VIII, 37.), et Ephesi Magnesiaeque confinia (Schol. Apoll. II, 2.) tenebat, donec bellis exstincta est. (Schol. Apoll. II, 2. Erat. ap. Plin. h. n. V, 33.)

His e locis poetae, quum pro sua quisque terrae cognitione Argonautas ad remotiores terras navigantes facerent, transtulerunt Bebryces in Bithyniam, (Cf. Müller, Orchom. p. 286.), quin etiam in Hispaniam et Galliam Narbonensem. cf. Sil. Ital. III, 420—443. XV, 497. Steph. Byz. v. *Βεβρύκων*, Scymn. Ch. 199 sq. Dio Cass. I. p. 5 ed. Reim.

Aeque fabulares Mygdones sunt, quos cum Bebrycibus consociandos esse putat Sch. Apoll. II, 786. cf. Strab. p. 295, 564, 575. Amm. Marc. XXII, 8, 14. His igitur, quippe qui careant hisorica fide, secretis quatuor iam restant gentes, quas ante Strymonios atque una cum Strymoniis Bithyniam habuisse proxime ad verum accedit. Sunt Mysi, Mariandyni, Caucones, Phryges. 1) Mysi eam Bithyniae partem, quae ad occidentem vergit, tenebant (cf. Strabo p. 563. Scym. Ch. 727.); ab iis enim Bosporo, ut iam supra diximus, Mysio fuit nomen. A Strymoniis sedibus depulsi partim ad meridiem versus recesserunt — (loca Arganthonio et Olympo montibus Cianoque sinu adiacentia etiam posterioribus temporibus Mysi habuerunt. cf. Herod. V, 122. Xen. Hell. I, 4, 7. Scylax p. 35. Strab. p. 566, 571, 574 sq. Schol. Apoll. I, 1177.

montuosa, coactis primum quidem proxima Bosporo ac Ponto loca occupavere, deinde autem praetereuntes Ma-

Schol. Dion. Per. 805, 809.) — partim ad ortum versus in Hypios montes se abdiderunt. cf. Nymph. ap. M. — 2. Mariandyni incolebant Ponti oram, quae a Sangario (cf. Strab. p. 543, 563.; Plin. h. n. VI, 1. Scymn. 727.) vel ab Hypio flumine (Scylax. p. 34. Schol. Apoll. II, 794.) pertinebat ad Cauconum agros Parthenio flumini adiacentes (Strab. p. 541.). Haec gens nobilitata est quum continuis fere bellis, quae Heracle adiuvante cum Bebrycibus et Paphlagonibus gessisse fertur (Schol. Apoll. II, 752, 758, 780, 789, aliisq. l.), et servitutis ratione, qua ab Heracliensibus oppressa tenebatur (Strab. p. 542. Athen. VI, p. 263. Arist. Pol. VII, 5, 7. Ruhnk. ad Pl. Timaeum p. 214.), tum vero lugubribus cantilenis, quibus Bormum quemdam vel Priolaum invocabant. cf. Eust. ad Dion. 788, Nymph. ap. Athen. XIV, p. 619. Schol. Apoll. II, 780. Aesch. Pers. 933 cum Schol., Pollux. IV, 54. Hesych. v. *Βωρμον*.

Recentiores scriptores, Strabonem p. 542, 295. secuti Mariandynos cum Bithynis cognationis vinculis coniunctos esse opinantur, sed licet utriusque gentis nomina eadem fere ratione scribantur, ea cognatio negetur necesse est. Causae hae sunt gravissimae: a) Ex nominibus, quippe quae utraque gens e Phoenicum lingua, ut infra docebimus, sibi traxerit, de cognationis vinculo colligi nequit. b) Herodotus (I, 28. III, 90.) secernit Mariandynos a Thracibus Asiaticis, Thynis et Bithynis. c) Inter Mariandynorum et Thracum armaturam multum differt, neque cum Thracibus Mariandyni, sed cum Leucosyris unam Persici exercitus partem efficiunt. cf. Herod. VII, 73, 75. d) Mariandynorum mos et natura nimis diversa sunt a natura Thracum, ut ipsae fabulae satis ostendunt. Cf. tamen Bernhardy ad D. P. 793. Proxime ad verum mihi quidem videtur accedere, Mariandynos ac Syros ejusdem stirpis fuisse.

3. Caucones accolebant Parthenium flumen, separabant igitur Mariandynos a Paphlagonibus. cf. Hom. Il. X, 429. Strab. p. 345, 541, 542, 678, 680. Posterioribus autem temporibus aut evanuerunt aut cesserunt ora maritima ostioque Parthenii, quo factum est, ut Mariandyni Paphlagonibus essent finitimi. cf. Schol. Apoll. II, 723, Dion. Per. 787 sq. Scylax. p. 34.

4. Phryges a meridie et Mysis et Mariandynis et Cauconibus finitimi erant; tum enim Phrygia tantum habuisse dicitur ambitum, ut ab Hellesponto ad Paphlagoniam et Cappadociam et Halyn flumen pertineret. cf. Strab. p. 187, Herod. V, 52.

riandynos,[8]) quippe qui fortiter advenarum vim sustinerent, ad Paphlagoniam usque processerunt. His sedibus, quarum alteram Asiaticam a gente etiam Strymonem appellatam esse traditum est,[9]) ad utrumque Bospori latus constitutis, primum Strymonii cum Phoenicibus [10]) habuisse commercium eorumque e lingua et Thynorum et Bithynorum nomina videntur traxisse. [11])

---

8) Mysis depulsis Strymonii longius processuri Mariandyniam certe tentaverunt, Mariandynis autem fortiter resistentibus — quod Arrianus ap. Eust. ad Dion. 793 dicit, Thynos Ponti oram a Rheba ad Caletem fluvium occupavisse, ad posteriora tempora referendum est. cf. Memnon. p. 228 b. 26. B. — a mari in interiora loca progressi Phrygibus pulsis ad Paphlagoniam usque sedium suarum fines propagaverunt. Quo fiebat, ut Bithynia a mari ad Parthenium circumscriberet Mariandynos.

9) Plin. h. n. V, 40. Ea appellata est Cronia, dein Thessalis, deinde Maliande et Strymonis.

10) Phoenices etiam Bospori et Ponti loca frequentavisse, iam nemo est, qui neget, postquam tot viri doctissimi gravissimis eam rem demonstraverunt argumentis. Ad eorum volumina, imprimis ad Movertis librum, Phöniz. II, 2, p. 286—308 delego lectores, quum nullum habeam, quod afferre possim, novum argumentum.

11) Vetustiores scriptores Graeci Strymonios in Asiam transgressos appellaverunt vel Thraces Asiaticos vel Thraces Bithynos eorumque sedes Thraciam Asiaticam. cf. Herod. I. 28. III, 90, VII, 75. Thucyd. IV, 75. Xen. Anab. VI, 4, 1 sq. Hell. I, 3, 2. III, 2, 2 (Diod. XIV, 38. Scylax p. 34). Attamen iam Herodotus I, 28 distribuit Thraces in Thynos et Bithynos, et posteriores scriptores etiam Thraciam Asiaticam in Thyniam et Bithyniam diviserunt, ita, ut Thyniam intellegi vellent Ponti oram, Bithyniam interiora loca. cf. Arrian. ap. Eust. ad Dion. 793. Steph. Byz. s. v. Ψίλιον. Memnon. p. 227 a. 20 Plin. h. n. V, 43. Anonym. Per. P. Eux. §. 5, Scymn. Ch. fr. 234. Quocum consentit, quod insulae quoque, quae non longe abest a Bithyniae ora Pontica, longum tempus nomen erat Thyniadi. cf. Sch. Apoll. II, 177, 351, 672, 684 Anon. P. P. §. 3 Scylax p. 34. Strab. p. 543. Pl. h. n. V, 43. 44. Ptol. V, 1, 15.

Eadem ratione Bithynia Europaea in duas partes divisa erat; Bospori enim ora et interiores regiones ante Byzantium

Phoenices Graeci secuti sunt. Qui posteaquam iis Asiae atque Europae terris, quae mare attingunt Aegae-

---

conditum Bithynia incolaeque Bithyni (cf. N. 13.), Ponti autem ora Thynia eiusque incolae Thyni vocabantur. cf. Xen. Anab. VII, 2, 22. 4, 1. 14. 18. Strab. p. 319, 541. Plin. h. n. IV, 18. Mela II, 2, 68. Ptolem. III, 11, 4.

Hanc miram gentis et terrae distributionem antiqui scriptores hisce explicaverunt rationibus. 1) Arrian ap. Eust. ad Dion. 793. „*Τοὺς δὲ Θυνοὺς καὶ τοὺς Βιθυνοὺς, οὕτω καλουμένους ἀπό τινων ἀδελφῶν ἐπιφανῶν, Θυνοῦ καὶ Βιθυνοῦ, παίδων φινέως καὶ ὅτι ἄλλοι 'Οδρούσου παῖδάς φασι τὸν Θυνὸν καὶ τὸν Βιθυνὸν, ὧν ἡ χώρα ὁμώνυμος.* cf. Pherecyd. ap. Schol. Apoll. II, 140, 181. 2) Strabo p. 541.: *Οἱ μὲν οὖν Βιθυνοὶ διότι πρότερον Μυσοὶ ὄντες μετωνομάσθησαν οὕτως ἀπὸ τῶν Θρᾳκῶν τῶν ἐποικησάντων Βιθυνῶν τε καὶ Θυνῶν, ὁμολογεῖται παρὰ τῶν πλείστων καὶ σημεῖα τίθενται τοῦ μὲν τῶν Βιθυνῶν ἔθνους τὸ μέχρι νῦν ἐν τῇ Θρᾴκῃ λέγεσθαί τινας Βιθυνοῦς, τοῦ δὲ τῶν Θυνῶν τὴν Θυνιάδα ἀκτὴν τὴν πρὸς 'Απολλωνίᾳ καὶ Σαλμυδησσῷ.* Cf. Mela II, 2, 73. 3) Plin. h. n. V, 41. Sunt autores, transiisse ex Europa Mysos et Phryges et Thynos, a quibus appellantur Mysi, Phryges, Bithyni. cf. id. IV, 11, 18. App. Mithrid. 1.

Conveniunt igitur hi scriptores in eam sententiam, ut dicant, Thracibus iam ante transitum in Asiam fuisse nomina sive Thynis et Bithynis sive solum Thynis, ab iisque terram occupatam partim Thyniam partim Bithyniam appellatam esse.

Haec vero sententia duobus potissimum de causis probanda non est; primum, quia non explicat, qui factum sit, ut et in Europa et in Asia Thyni solam Ponti oram, Bithyni autem nunquam loca secundum Thynos non incoluerint. Nam posito atque concesso, gentem Strymoniorum iam antiquitus divisam fuisse in duas familias, Thynos et Bithynos, num minus mirum est, quod Pontica ora et Europaea et Asiatica a Thynis tantum, Bospori autem ora et interiora loca, Thynis ad meridiem versus posita, a Bithynis tantum incoluntur? Si Thyni tanto orae maritimae amore ardebant, cur non Bospori quoque oram et Europaeam et Asiaticam occupaverant? (cf. Eust. ad. Dion. 793 et N. 13.)

Deinde illa antiquorum scriptorum sententia minime firmatur historica fide, quoniam iis repugnat, quae Herodotus, gravissimus auctor quum universe tum imprimis rerum Bithynicarum, quippe quas ipsis Bithynis auctoribus cognoverit, prodidit memo-

um, quasi attexuerunt oram Graecam, in agros etiam, qui Ponto adiacent et primum quidem in Bithyniae fines

---

riae VII, 75: „Οὗτοι δὲ διαβάντες μὲν ἐς τὴν Ἀσίην ἐκλήθησαν Βιθυνοὶ, τὸ δὲ πρότερον ἐκαλέοντο, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, Στρυμόνιοι, οἰκέοντες ἐπὶ Στρυμόνι. cf. Arrian. ap. Eust. ad Dion. 793.

Hoc Herodoti testimonio quum evincatur, Thracibus nondum in Asiam transgressis nec Thynis nomen neque Bithynis fuisse — nam de Bithynis scriptor plane et aperte dixit, de Thynis autem e silentio eius colligendum est, — ex eoque quum sequatur, ut ii, qui Strymonios in duas familias, Thynos et Bithynos, antiquitus divisos fecerunt, errore sese obtrinxerint testimonium Herodoti neglegendo, iam quaestio exsistit subdifficilis, quanam ex re Thraces, postquam a Strymone ad Bosporum migraverunt, sibi traxerint utrumque illud nomen. Quam ad quaestionem ut responderet, unus e recentioribus, quantum scio, coniecit, distributionem Thracum in Thynos et Bithynos a grammaticis esse inventam ex duplici eiusdem nominis forma; profecto coniectura indigna, quae argumentis refutetur, nisi forte quispiam ipsum etiam Herodotum, quum scripserit I, 28 „Θρήϊκες οἱ Θυνοί τε καὶ Βιθυνοί“ in grammaticorum numerum censeat referendum.

Haud multo propius ad verum accedit Movertis coniectura (Phönizier II, 2 p. 500), a Bithyadibus, nobili familia Punica (Virg. Aen. I, 738 c. c. Serv), Thraces cognominatos esse Bithynos; namque ut taceam de nimia vi, quam Movers Phoenicibus attribuit ad civitatem Bithynorum constituendam, quaero tantum ex eo, quanam a re Thynorum nominis et mirae Thynorum et Bithynorum separationis, quam supra cognovimus, duci originem voluerit?

Ingeniosa et quasi perfecta ad persuadendum Ritteri est sententia, quam in transitu, ut ita dicam, leviter tantum aperuit in libro suo, cui inscriptum est „Vergleichende Erdkunde des Halbinsellandes Kleinasien, Band I, Berl. 1858 (Allgemeine Erdkunde Vol. XVIII.). Dicit enim Ritterus p. 678, Thyniadem insulam nomen cepisse a thynnis, qui verno tempore gregatim e Maeotide in Pontum intrent praeterque Asiae oram ad Bosporum ferantur. cf. Strab. p. 320 Plin. h. n. IX, 15. Eust. ad Dion. 803 Dio Chr. II p. 11. Hoc si verum esset, ora Thynia nostra lingua significaret „Thunfischküste, Thyni ergo „Bewohner der Thunfischküste“. Profecto perplacet mihi haec nominis explicatio; atqui probare non possum, quia non intellego, cur Europaeae etiam Ponti orae, in qua thynni non capiuntur, nomen fuerit

colonias deducere coeperunt. Quarum cum colonis quin fere continuum Bithyni gererent bellum, fieri non potuit. Ad urbes enim condendas optimum quemque sibi advenae deligebant orae maritimae agrum et opportunis-

---

Thyniadi. — Quartam denique de origine nominis Thyniae coniecturam Sicklerus fecit in libro, qui in scribitur „Handbuch der alten Geographie für Gymnasien, Cassel 18:4" p. 544. Cui coniicienti, Thyniam nomen sibi traxisse a voce Punica, quae Hebraïce sonet: תְנוּאָה, omnino assensus, hacce rationə recte mihi videor explicare, quae causa fuerit, cur Strymonii partim Thyni partim Bithyni vocarentur. Thynia ea sola Ponti ora, ut iam supra diximus, appellabatur, quae a Bospori ostio ad laevam et ad dextram abscessit, in Europa fere ad Apolloniam, in Asia fere ad Heracleam urbes. Tota ora mollibus fastigiis ad formam arcus inflectitur, duae eius partes et Europaea et Asiatica incurvis contra se littoribus obtenduntur ita, ut ab ostio Bospori terra quasi recedat. Hic recessus quum Phoenicibus in Pontum navigantibus conspicuus esset, ii orae indidere nomen Th'nuah (תְנוּאָה sign. das Zurückweichen) a Graecis in *Θυνια* vel *Θυνιας* mutatum.

Haec coniectura ne comprobetur, nescio, quid obstet; neque enim solum probabiliter miram expedit Thracum in Thynos et Bithynos divisionem, sed satis etiam enucleat, qui factum sit, ut Mariandyni, licet nullis cognationis vinculis cum Bithynis fuerint coniuncti, tamen nomine vocati sind, quod de eadem flectendum est radice. Phoenices enim appellabant eos, qui oram Th'nuah h. e. Thyniam tenebant, Thynos, qui autem interiora loca secundum Thynos posita, Bith'nuah incolebant — בִּתְנוּאָה; praepositio בְּ significat „in" — Bithynos; qui denique pascuam Th'nuah (מַרְעִית, Marith vel arabice מַרְעַ = pascuum) habebant, Marianthynos. Horum enim agri, imprimis ii, qui Bithynium et Salonem urbes circumiacebant, uberrimi erant et boum pascuis optimi. cf. Strab. p. 565. Salonitensem caseum etiam Romani magnopere laudabant. cf. Strab. l. l. Plin. h. n. XI, 42.

Congruit cum vi, quam voci „Bithynia" subiectam esse coniecimus, etiam nomen Bithynii oppidi, quod modo memoravimus. Bithynium enim, non a Bithynis, sed ab Arcadibus Mantinensibusque incultum (cf. Pausan. VIII, 9, 7) et interiorem terrae locum tenebat (cf. Strab. l. l. Plin. h. n. V, 43 Ptolem. V, 1, 10.) et a Phoenicibus conditum esse fertur. cf. Steph. Byz. s. v.

simum et fructuosissimum neque desistebant, in dies latius fines extendere. Attamen quamvis acriter Bithyni resisterent, duae imprimis coloniae, Chalcedon et Byzantium,[12]) brevi adoleverunt; quin etiam conditores Byzantii intra non amplius triginta annos eo rem adduxerunt, ut servitute ita oppressos tenerent Bithynos,[13]) ut Helotas Lacedaemonii. Quod tamen non prius evenisse videatur, quam optimus quisque Bithynorum Europaeorem ad Asiaticas gentis suae sedes, quas tum Cimmerii[14]) depopulabantur, Pataro quodam duce transfugisset.

---

12) Utraque a Megarensibus condita, Chalcedon Ol. 26, 2. (Strab. p. 320, 563. Herod. IV, 144. Thucyd. IV, 75.), Byzantium Ol. 30, 1. Herod. l. l. vel Ol. 30, 3. Euseb. Arm. I. p. 183, Strab. p. 320, Polyb. IV, 43—44, Tac. Ann. XII, 63.). Tertia Graecorum colonia, quacum Bithynis praesertim posterioribus temporibus crebra fuerunt certamina, Heraclea est, a Megarensibus et Tanagraeis (Pausan. V, 26, 6. Euphor. ap. Sch. Apoll. II, 351, Ephor. ap. eund. II, 845. Xen. Anab. VI, 2, 1. Thucyd. IV, 75), in finibus Mariandynorum, quo tempore, in certum est, condita.

13) Phylarch. ap. Athen. VI, p. 271 B., *και Βυζαντίους φησὶν οὕτω Βιθυνῶν δεσπόσαι, ὡς Λακεδαίμονες τῶν εἱλώτων.* Helotum nomine quum antiqui scriptores nunquam servos appellaverint, nisi eos, qui in suis propriis finibus ab alia gente lacessiti et devicti tandem ad id descenderant, ut victori genti servirent *ἐπὶ τακτοῖς τισιν, ὥςτε τὸν ἔχοντα μητ' ἐλευθεροῦν ἐξεῖναι μήτε πωλεῖν ἔξω τῶν ὅρων τούτους* ut ait Strabo VIII p. 365, merito ex hoc Phylarchi loco collegisse mihi videor, ante Byzantium conditum Bithynos totam peninsulam, quae Pontum a Propontide dividit, incoluisse. Itaque non intellego, qua ratione nonnulli recentiores scriptores, Teuffelium dico (Pauly, Encykl. d. kl. Alterth. v. Prusias I.) et Sevinum, adducti sint, ut credant, ea Phylarchi verba referenda esse ad Bithynos Asiaticos a Byzantiis bello captos.

14) Arrian. ap. Eust. ad Dion. 322, Steph. Byz. v. *Τίος.* Cimmerii a Scythis Sinopensium agro, e quo quasi e praedonum receptaculo multos per annos finitimas terras, Paphlagoniam, Phrygiam (Strab. p. 61.), Mariandyniam (Sch. Apoll. I, 1126, II, 140, 725, 783. Arrian. ap. Eust. ad Dion. 787.), Bithyniam vexaverant, circiter annum 633 a. Ch. n. (cf. Duncker, Gesch.

Quo facto in Europa quidem [omnino intercidit nomen Bithyniae, solique Thyni id Ponti littus montuosum, quod erat Salmydessum inter et Apolloniam, in posterum habebant.[15]) In Asia autem Bithyni novam quamdam tot hominum accessione potentiam consecuti Cimmerios depulerunt e finibus suis eoque e tempore sedibus se continebant.

Terra enim et coelo et solo erat laeta. Ager omnium, si olivam exceperis, frugum fertilissimus,[16]) arboribus mirum in modum fecundus,[17]) bonus pecori.[18]) Agriculturae igitur Bithyni reique pecuariae studebant.

Deum colebant in montium cacuminibus Iovem Papam eundemque Attin;[19]) ius dicebant ad solem versus sedentes, ut deus adspiceret.[20])

Bellicis rebus quidquid poterant, equitatu valebant levisque armaturae militibus;[21]) armis enim utebantur

---

d. Alt. I. p. 482. N. 4.) annoque fere XXIV post Byzantium conditum depulsi ad occasum versus (Duncker. l. l. p. 481.) se verterunt. Itaque temporis ratio favet mihi Bithynorum in Asiam alterius transitus causam ex bellis repetenti, quae Byzantii, quum laevam Bospori oram occupaturi essent, cum Bithynis, incolis eius orae, gesserunt.

15) cf. Not. 11. Schol. Apoll. II, 177; eandem Ponti oram Ladepsi et Tranipsi, quos Theopompus ap. Steph. Byz. v. *Λαδειροὶ, ἔθνη Θυνῶν* dixit, incolebant. cf. Xen. Anab. VII, 2, 32.

16) Xen. Anab. VI, 4, 6. VI, 6, 1.

17) Xen. Anab. VI, 4.; Theoph. h. plant. IV, 5, 5.; Ritter, Erdk. XVIII p. 658 sq.; Arrian. ap. Eust. ad Dion. 793.

18) Imprimis ovibus Bithynia abundabat. Cf. Xen. Anab. VI, 3, 3. 6, 5. 38. De argenti fodinis cf. Arrian. ap. Eust. ad Il. II, 857.

19) Arrian. ap. Eust. ad Il. V, p. 429. De Iove Papaeo cf. Diod. III, 57. Herod. IV, 59 ad eumque Baehrium et in indice v. *Παπαῖος*, Duncker, Gesch. d. Alt. I, p. 248. De Iovis Stratii cultu apud Bithynos cf. Arrian. ap. Eust. ad D. 793, Movers Phönizier I, p. 476., II, 2 p. 300.

20) Arrian. ap. Eust. ad Il. III, 275.

21) Xen. Anab. VI, 3, 4. 6. 5, 30. Hellen. III, 2, 3. Iuvenal. „equitesque Bithyni.“

clipeo, iaculo, pugione; caput auresque pellibus vulpinis muniebant; super tunicam, quae pectus feminaque obtegebat, vestimenta versicoloria inducebant; pedes cruraque calceamentis induebant corio e cervino factis.[22]) Eques pallio circumdatus erat ad pedes usque defluente.[23])

Principum imperio Bithynos iam antiquitus paruisse, verisimillimum est, etsi rerum scriptores per duo fere saecula nullius eorum principis mentionem fecerunt.[24])

Haec de Bithynorum moribus placuit attingere, iam ad rerum gestarum memoriam redeundum est. Cimmeriis igitur depulsis, ut supra memoravimus, neque longo temporis spatio interiecto Bithyni aut ab Alyatte aut a Croeso,[25]) eius filio, subiecti regnoque Lydorum ad-

---

22) Herod. VII, 75. Xen. Anab. VII, 4, 4.

23) Xen. Anab. I, I. tradidit hoc de Thynis Europaeis; eorum autem vestitus quum ceteris partibus idem fere fuerit, ac Bithynorum Asiaticorum, non dubitavi, pallium horum quoque equitibus attribuere.

24) Primus Bithyniae princeps Doedalsus a Memnone p. 228 a. memoratur; ante eum autem iam Bithyniae principes fuisse, quum per se ad verum accedit, tum vero elucet ex ratione, qua Memnon Doedalsi mentionem fecit. Inter eos principes indigenas (Pausan. V, 12, 7 ex Zipoetis nomine de origine eius Thracica collegit. Cf. Cap. II. N. 5.) fortasse Patarus referendus est, quo duce Bithyni saeculo septimo a. Ch. n. in Asiam transfugerunt; minime vero in eorum numero habuerim Prusiam illum, Croesi vel Cyri aequalem, de quo viri docti plura disputaverunt. Cf. Palmerium, Exercit. p. 335., Sevinum XII p. 326—331., Clintonem, fast. Hell. III p. 411 sq., Droysenium, Hellenism. II p. 656., interpretes Strabon. p. 564., Steph. Byz. v. *Προῦσα* et quae ipse dicam Cap. V. N. 76.

25) Herod. I, 28. tradidit tantum, Bithynos in Croesi fuisse ditione, quare dubium est, num Croesus an Alyattes primus iis bellum intulerit; propius tamen ad verum videtur accedere, iam ab Alyatte Bithyniam sub Lydorum potestatem redactam esse: cuius rei rationes quum Dunckerus, Gesch. des

iuncti sunt. Croesum autem quum devicisset Cyrus, simul cum ceteris Asiae nationibus Bithyni quoque sub Persarum ditionem venerunt, eorumque terra Phrygiae adiecta [26]) in satrapiae, quam dicunt, formam redacta est. Cuius satrapiae praefectus Dascylio, quod est Phrygiae minoris oppidum, sedem ac domicilium habebat. Neque tamen magni fuisse momenti haec Persarum dominatio, sed id unum videtur egisse, ut tributum [27]) subiecti penderent Persisque bellantibus suum numerum conferrent. Itaque Xerxis in Graeciam expeditioni Thraces quoque Asiatici sub Bassacis Persae imperio inter-

---

Alterth. I. p. 585. N. 3. congesserit, equidem laudo tantum Stephani locum s. v. *Ἀλύαττα.*

26) Bithynia nunquam per se sola imperii Persici satrapiam confecit, sed cum Hellespontiis quidem Phrygibus semper in eiusdem satrapis, qui Dascylio sedem habebat, potestate fuit. Cyro enim et Cambyse regibus tota Asia, quam dicunt, minor in duas tantum satrapias divisa erat, Dascylianam et Sardianam. Cf. Herod. III, 120. 126. Bithyniam igitur tum ad alteram, Dascylianam, pertinuisse, certum est, etiamsi scriptorum testimoniis non confirmatur. A Darii autem regni initiis usque ad Alexandrum magnum rem ita sese habuisse, testes sunt rerum scriptores, Herod. III, 90., Xen. Anab. VI, 4, 24. 5, 7., Hellen. III, 2, 2., Arrian. Anab. I. p. 36, 49. ed. Blank. (comp. c. Memnonis loco p. 228 a. 18.). Unus Xenophon unoque tantum loco tradidisse videatur (Anab. VII, 8, 25.), Bithyniam per se solam satrapiam fuisse. Attamen eum locum si accuratius perspexeris, facile intelliges, Xenophontem minime errore, ut recentiores aliquot scriptores opinati sunt, sese obstrinxisse. Namque eo loco eam tantum partem satrapiae Pharnabazi scriptor memorat, per quam Graeci se duce iter fecissent — *ἄρχοντες τῆς χώρας, ὅσην ἐπήλθομεν* — quare Phrygiae minoris, cuius quoque satrapem Pharnabazum fuisse ex aliis eiusdem operis locis (VI, 4, 24. 5, 7.) satis elucet, non mentionem fecit; Artacamas enim Phrygiae maioris praefectus erat.

27) Herod. III, 90. Dario rege *ἀπὸ δὲ Ἑλλησποντίων τῶν ἐπὶ δεξιᾳ ἐσπλώοντι καὶ Φρυγῶν καὶ Θρηΐκων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ καὶ Παφλαγόνων καὶ Μαριανδυνῶν καὶ Συρίων ἑξήκοντα καὶ τριηκόσια ἦν τάλαντα φόρος· νόμος τρίτος οὗτος.*

fuerunt.[28]) Qua expeditione facta nulla est per quinquaginta rursus annos apud scriptores mentio rerum Bithynicarum. His autem annis post perpauca quidem de Bithynia scriptores tradidernnt, ex quibus tamen intelligitur, tum Bithynos in rebus suis sua fuisse potestate neque satrapis, cui tributum solum solverent — et fortasse ne id quidem faciebant[29]) — sed sui principis imperio paruisse; quin etiam pro hoste saepius satrapem feruntur habuisse,[30]) sive ei Bithyniae rebus se immiscenti vel bonis manus afferenti pro viribus resistebant, sive etiam iniuria non illata eum lacessebant. Quapropter minime est mirum, quod satrapae haud iniquo animo Bithynos hostium irruptionibus vexatos esse patiebantur[31]) neque unquam, nisi Phrygiae quoque minori idem periculum immineret, auxilio iis veniebant.[32])

Invaserunt autem persaepe Bithyniam quum alii, tum vero Graeci ex finitimis coloniis; qui quanta crudelitate in Bithynos saevierint, ex eo satis apparet, quod Chalcedonii et Byzantii, quum Thracibus consociatis magno cum exercitu in Bithyniam invasissent, agris vastatis multisque oppidulis deletis viros, mulieres, pueros, quos ceperant, ad unum omnes occiderunt.[33]) Quam ob rem facile ad credendum inducor, moris fuisse Bithynorum, ut omnes Graecos, qui vel naufragio facto vel alio casu in eorum fines erant delati, quam pessime mulcarent.[34]) Neque tamen dubitaverunt Chalcedonii, quum Alcibiades ad eorum urbem expugnandam classe appropinquaret, omnes res suas, quas movere possent,

---

28) Herod. VII, 75.

29) Id colligere licet ex inimicitiis inter Bithynos et Pharnabazum exortis, quarum infra mentionem faciemus.

30) Xen. Hellen. III, 2, 2. 31) Xen. l. l.

32) Xen. Anab. VI, 4, 24, 5, 7.

33) Diod. XII, 82. Ol. 91, 1 = 416 a. Chr. archonte Athenis Arimnesto. cf. Wessel. ad l. l.

34) Xen. Anab. VI, 4, 2.

Bithynis servandas dare. Hi autem cum Alcibiade pro hoste eos sese habiturum esse minante rebus illis traditis pactionem fecerunt. [35])

Dum ita in Bithynia se res habent, Doedalsus fuit Bithynorum princeps, [36]) sive a patre, quod est verisimillimum, accepit imperium, sive rerum potitus est. Is Astacum urbem, quae in intimo sita sinus Astaceni recessu finitimorum vexationibus multisque bellis eversa erat, de integro condidisse atque et celebritate et opulentia praestantem fertur reddidisse. [37])

Mortuo Doedalso Botiras (406—376 a. Ch. n.) principatum obtinuit, [38]) de quo nihil, nisi septuaginta sex annos natum vita decessisse, memoriae proditum est. Neque non eo principe multa mala Bithyni perpessi sunt. Nam primum Graeci illi Xenophontei impressione in Bithyniam facta Bithynis fortiter resistentibus magnumque eorum numerum occidentibus terram ferro ignique vastaverunt et permagnam hominum pecudumque praedam egerunt. [39]) Interiectis autem duobus

---

35) Xen. Hellen. I, 3, 2—4. Plut. Alcib. 29. Ol. 92, 3 = 410/409 a. Ch. n.

36) Bithynorum principes quo quisque tempore, quamdiu regnaverint, ex Memnonis loco p. 228 a. 15 sq. computando efficiendum est. Zipoetes mortuus est, ut infra docebimus, anno 278 a. Ch. n., postquam regnavit annos 48, coeperat igitur regnare 326; Bas principatum obtinuit annos 50, accepit ergo principatum 376; Botiras vixit annos 76, itaque verisimile est, eum postremis annis belli Peloponnesiaci successisse Doedalso circa initium eiusdem belli Bithyniae imperium adepto.

37) Memnon l. l. 5—15. Strab. p. 563. Condita erat Astacus primum a Megarensibus, Ol. 17, 3 = 710 a. Ch. n. cf. Euseb. Arm. II. p. 119, Mela I, 19, 4. iterum ab Atheniensibus, deinde a Doedalso.

38) Memnon. l. l. 16. non tradidit, Botiram Doedalsi fuisse filium, quod tamen verisimile est, quia omnes Bithyniae principes a Botira usque ad Nicomedem tertium ab eadem familia originem duxerunt.

39) Xen. Anab. VI, 2 sq. Diod. XIV, 31. Ol. 95, 1.

tantum annis Dercyllidas, quum Persis bellum inferret, hibernis in Bithynia sumtis terram rursus totam hiemem expilavit. [40])

Cap. II.

Bithyni libertatem restituunt eamque dubiis illis temporibus, quae Alexandri mortem secuta sunt, tuentur. Bas 376—326, Zipoetes 326—278 a. Chr. n. primus Bithyniae rex 286 a. Chr.

Mortuo Botira Bas filius, iuvenis unius et viginti annorum, Bithyniae imperium accepit. [1]) Qui quae per priores quadraginta tres principatus sui annos gesserit, qualisque fuerit, nulla est memoria; quum autem exactae iam aetatis esset, tum ei obtigit, Bithynorum tueri libertatem. Anno enim 334 a. Chr. n. Alexander, Macedoniae rex, exercitu Hellespontum traiecto ad Granicum fluvium Persarum copias fugavit et Dascylio capto Phrygiae minoris praefectum Arsitis loco Calan constituit, qui exigeret ab incolis eadem tributa, quae Dario pendere soliti essent. [2]) Minime vero Bas ad stipendia descendit solvenda, sed Calan in Bithyniam ingressum, quamquam optime ad pugnam instructus erat, fudit fugavitque neque unquam ex eo tempore ad Macedones, si Bithyniam invaderent, repellendos non in expedito

---

40) Xen. Hellen. III, 2, 2—6. Diod. XIV, 38. Ol. 95, 3 = 398/397 a. Chr. n.

1) Memnon p. 228 a. 17—20.

2) Arrian., Anab. p. 49 ed. Bl. Arsites ex ipsa pugna in Phrygiam effugerat ibique, quod Persis auctor fuisse videretur cladis ad Granicum acceptae sibi ipse mortem consciverat. cf. Arrian l. l. p. 36, 46.

sese habebat.[3]) Qua potissimum virtute et industria quum factum sit, ut neque Calas neque Demarchus,[4]) qui post eum Phrygiae satrapiam sortitus est, iterum tentare Bithyniam conati sint, atque ita, dum omnes fere Asiae civitates Macedonum imperium sustinent, Bithynia immunis ac libera manserit, Bas inter meritissimos Bithynorum principes referendus, imo vero etiam censendus est auctor libertatis Bithyniae.

Qui quum unum et septuaginta annos natus diem obiret supremum, postquam quinquaginta annos principatum obtinuit, et imperium reliquit Zipoeti filio[5]) et prudentiam suam animique vim. Is enim lubricis temporibus non solum integrum servavit imperium a patre acceptum, sed ad regiam etiam se perduxit dignitatem. Qua tamen in re multum eum adiuverunt ipsa illa diutina ac fere continua bella, quae Alexandri mortem secuta sunt. Quorum circa initia timebat fortasse Zipoetes sibi suisque rebus ideoque, ut quovis temporis momento infestis signis, ut ita dicam, consisteret, cum armis quiescebat; tandem autem quum intellexisset, Macedonum ducibus maiora molitis nec temporis satis nec animum esse ad tentandam Bithyniam, quumque igitur ab externo periculo iam satis tutum se putaret, id animum induxit, ut colonias Graecas, quae in ipsis Bithyniae finibus sitae essent, sub suam potestatem redigeret.

Quibus consultis ut facta coniungeret, magno cum exercitu et Chalcedonios et Astacenos, qui defectione a

---

3) Memn. l. l. 4) Arrian. ap. Phot. p. 69 b. 3.

5) Memn. p. 228a. 22 sq. Pausan. V, 12, 7 „*Ζυποίτης, Θρᾷξ γένος εἰκάζοντί γε ἀπὸ τοῦ ὀνόματος.* De lingua Bithynica, quantum scio, nihil constat, nisi quod in Etym. magno v. *φώζειν* traditum est, Bithynos pro *φώζειν* dixisse *φώγειν*. Iam Nicomedis I. aetate Bithyni et mores et linguam Graecorum induisse videntur, quare Malalas, Chron. p. 221 ed. B. Bithynorum reges in numerum regum Macedonum retulit. De literarum cultu apud Bithynos cf. Androt. ap. Aelian. V, h. VIII, 6.

Bithynis facta cum illis societatem videntur habuisse, aggressus utramque urbem eodem tempore circumsedit. Neque vero contigit ei, ut urbes expugnaret; nam Ptolemaeus, Antigoni dux, quum ex Cappadociae finibus per Bithyniam profectus circumsessas a Zipoete colonias offenderet, eum obsidione desistere atque inita societate obsides dare coegit.[6]

Quo tamen Ptolemaei interventu bellum Chalcedoniense aliquamdiu tantummodo intermissum neque omnino relictum est. Quum enim Antigonus rebus adversis vehementer afflictus erat,[7] tum maxime, quantum coniectare licet, Zipoetes bellum redintegravit.[8] Et magna cum animorum irritatione dimicabatur.[9] Tandem vero Zipoetes omnibus suis copiis ad certamen eductis Chalcedonios, qui omni sua quoque militari aetate excita insuperque Thracum auxiliis aucti Bithyniae agrum incendiis vastarent, ad Psilim[10] flumen insidiis instructis ita fudit, ut amplius octo militum milia amitterent. Quo facto quum Chalcedone esset tanta

---

6) Diod. XIX, 60. Ol. 116, 2 = 315/14 a Chr. n.

7) Fortasse Ol. 117, 1, quum Demetrius, Antigoni filius, a Ptolemaeo ad Gazam devictus erat. cf. Diod. XIX, 80 sq. Plut. Dem. 5.

8) Plut. Quaestiones Graec. 49. Zipoetem Chalcedoniis bellum bis intulisse, iam ex eo elucet, quod alterum bellum a Diodoro traditum Ptolemaei interventu, alterum a Plutarcho memoratum Byzantiorum intercessione compositum est.

9) Plut. l. l.

10) In omnibus, quantum scio, editionibus Plutarchi haec leguntur (Wyttenb. II. p. 239 ed. Ox.) *Ἐπιθεμένου δὲ τοῦ Ζειποίτου περὶ τὸν καλούμενον Φάλιον αὐτοῖς* sq. Phalios autem qui fuerit, frustra rerum geographicarum scriptores consulueris; ex eo tamen, quod generis masculini est id nomen, cum veri specie mihi videor colligere, Phalium fluvium intelligendum esse veramque Plutarchi manum fuisse *Ψίλιον* (*Ψιλὶν*, *Ψυλλὶν*) quod flumen erat inter Bosporum et Calpes portum cf. Steph. Byz. s. h. v. Strab. p. 543. Ptol. V, 1, 5. Arrian. Per. Ponti Eux. p. 13 ed. H.; Sevin. XV p. 21 sq.

virorum penuria, ut pleraeque mulieres libertis atque inquilinis nuberent, quae autem haec nollent, viris omnino carerent, facile esse debuit urbem expugnare. Neque tamen Zipoetes a victoria nihil cessavit, sed in gratiam Byzantiorum sese interponentium ab armis recessit.[11])

Bello ita composito per eos, qui proxime sequuntur, annos, in pace Bithyni videntur vixisse, quoad magna rerum Asiae commutatione, quae proelio ad Ipsum commisso facta est,[12]) ad libertatem suam defendendam arma denuo capere coacti sunt. Ad Ipsum enim postquam Antigonus rex, qui, ut Bithyniam in ditionem suam redigeret, maiora molitus nihil curaverat, proelians occidit, fere omnes Asiae civitates, quae erant cis Taurum montem, facta Antigoni regni divisione ad Lysimachum redierunt ab eoque sub praefectorum imperium adiunctae sunt. Neque mihi abhorrere a vero videatur, Lysimachum Bithyniam quoque alicuius praefecti imperio adiecisse eique mandavisse, ut nihil sibi ad Bithynos in suam ditionem redigendos reliqui faceret. At praefectus ille in Bithyniam ingressus proelio inferior occidit. Neque meliori fortuna usus est, quicumque postea Zipoetem invasit. Eum enim Zipoetes quam longissime repulit a Bithyniae finibus.[13]) Quin etiam ipse Lysimachus, quum rerum in Macedonia potitus, ut uxoris necem ab Heracleae principibus et a

11) Plutarchi l. c. verbis, quamquam planissime scripta sunt, Sevinus fidem non attribuit, sed coniectare maluit, Lysimachum Zipoeti fuisse impedimento, quominus nihil cessaret a victoria ad Psilim parta. cf. Sevin. p. 23. Quod etiam falsum est, quia Lysimachus post Antigoni mortem Bithynis bellum intulit.

12) Diod. XX, 107 sq. Plut. Demetr. 28 sq. Iust. XV, 5. Hieme 302/1 Lysimachus in orientali Bithyniae parte circa Salonem (Diod. XX, 109), Demetrius in occidentali parte circa Chalcedonem (Diod. 111) hibernabant.

13) Memn. p. 228 a. 23 sq.

Bithynis praefectorum clades vindicaret,[14]) in Asiam transgressus esset, Astacum urbem funditus quidem delevit,[15]) verum signis cum Zipoete collatis pugna inferior discessit.

Sub idem tempus aut paulo ante aut paulo post victoriam a Lysimacho reportatam Zipoetes principis nomen dedignatus regis assumpsit. [16]) (286 a. Chr.)

---

14) Ineunte anno 286, Ol. 123, 2 (cf. Euseb. Arm. p. 329, Plut. Pyrrh. 13.) Lysimachus rerum in Macedonia potitus est; eodem anno in Asiam traiecit, ut ab Oxathre et Clearcho, Amastris interfectoribus, poenas peteret. cf. Diod. XX, 109. Memn. p. 224—225. Droysen I, p. 634., imprimis autem Spanhemii dissert. de Num. Praest. VIII p. 495. Hac occasione Zipoeti quoque bellum intulisse videtur; patet enim e Memnonis verbis p. 228 a. 27 „*τοῦ τε* - Seleuco - *τῆς Ἀσίας βασιλεύοντος καὶ τοῦ* - Lysimacho - *Μακεδόνων*“ id factum esse, postquam Lysimachus Macedoniae regnum adeptus est.

15) Strab. p. 563.

16) Quis e Bithyniae principibus primus, quoque tempore regium nomen sibi adsciverit, rerum scriptores non tradiderunt; contra potius ipse Memnon parum accurate de Ba dixit *ἐβασίλευσε* (p. 228 a. 21), Zipoetem autem adversus Heracleam belligerantem — anno 281 — *ἐπάρχων* (p. 226 a. 3.) appellavit. Ex nummis vero, quotquot nunc exstant, regum Bithynorum quum intelligatur, Bithynos, ut Seleucidas inde a Babylone per Seleucum capta 312 1. Oct., ita inde ab eo tempore, quo primum principem suum regem appellavissent, dinumerasse annos, quumque in nummo Nicomedis Epiphanis, ultimi Bithyniae regis, qui mortuus est anno 74 a. Chr. n. (cf. Fischer, Röm. Zeittafeln p. 200) maximus numerus inveniatur AIS = 211, proxime ad verum accedit, Zipoetem circiter annum 211 + 74 = 285 regis nomen assumpsisse.

Ad idem fere tempus initium regni Bithynici eo refertur, quod Dionysio auctore Syncellus tradidit p. 276 c. „*οἱ Βιθυνῶν βασιλεῖς η' κατὰ Διονύσιον ἐντεῦθεν* (A. M. 5223—5282) *ἤρξαντο, διαρκέσαντες ἔτη σιγ'.* cf. p. 313 D. Adiecto enim 213 ad 74, numerus conficitur 287. — Quae quum ita sint, Zipoetes aut eo tempore, quum Lysimachus simul cum Pyrrho in Macedonia regnabat, aut victoria elatus, quam de ipso Lysimacho, clarissimo bellis eodemque Thracum Macedonumque rege deportavisset, regium nomen sibi adscivit. — Plura hac de re hoc loco non dicam,

Quae dignitas adeo augebat eius animos, ut nonnullis post annis ipsam Heracleam, opulentissimam illam civitatem, aggredi non dubitaret.

Lysimacho enim mortuo [17]) quum Heraclienses libertatem a Lysimacho ereptam recuperaturi Heraclidem eius praefectum in vincula coniecissent, et legatione missa ad Seleucum, ad cuius ditionem tum Asia cis Taurum accesserat, Phocritum civitatis principem fecissent, Zipoetes rex Heracliensibus infensus iam antea Lysimachi, tum vero Seleuci causa — nam utrique hostis erat — in eorum fines irruptionem fecit. Haec vero res longe aliter cecidit, ac putabat. Neque enim, quamvis magna Heracliensibus detrimenta inferret, ipse calamitatum expers erat, sed non multo minores, quam attulit, accepit. Adversam igitur fortunam expertus e Heracleae finibus decessit; [18]) haud ita tamen multo post iterum, ut videtur, in eos ingressus Tium et Cierum urbes, qua ratione, plane obscurum est, regno suo adiunxit. [19])

---

sed delego lectores ad libros, quos viri doctissimi de re numaria composuerunt, Eckhel, Doctr. N. v. II p. 398—446. Spanheim, de usu Num. Vol. I p. 512 sq. Visconti, Iconographie Grecque, Milano 1825, II p. 240 sq., et ad Clintonem, fast. H. III p. 411 sq., Palmer. ad Appian, Mithrid. 2.

17) Anno 281 ad Curupedion, Ol. 124, 4. cf. Euseb. Arm. I. p. 330, Memn. p. 225 b. 20 sq. Pausan. I, 10, 3—5. App. Syr. 64.

18) Memn. 225 b. 25 sq. Quibus e fontibus Sevinus ea hauserit, quae p. 26 narrat, Heracleotas iam ante Lysimachi mortem Bithyniae agros depopulatos a Zipoete primum devictos esse, deinde autem Zipoetem aliorum auxilio repulisse, nescio.

19) Nulla est memoria huius rei apud rerum scriptores; atqui digna est fide. Quum enim e Memnonis loco p. 225 a. 30 sq. appareat, Amastrim. Tium, (Cierum) urbes una cum Heraclea, cuius imperio subiectae tum essent, aliquot annis ante Lysimachi mortem in Arsinoes, eius uxoris, ditionem venisse, idem autem Memnon p. 227 a. 19 sq. tradiderit, Nicomedem — anno 278.

Dum haec in Bithynia geruntur, Seleucus Asiae rebus constitutis filioque Antiocho commendatis transitum in Macedoniam instituit, ut Macedoniae regno potitus in patria sua reliquum vitae tempus conficeret.[20]) Vix autem in Europam transgressus erat, quum a Ptolemaeo Cerauno insidiis oppressus periit.[21]) Quo facto maxime turbatus in Macedonia erat atque solutus rerum status, in Asia Antiochus, Seleuci filius, ut patris regnum integrum servaret, omnibus viribus contendebat. Quam rem ut in iis regni partibus, quae Ponto et Propontidi adiacebant, conficeret, in citeriora Tauri misit Patroclem ducem cum exquisito exercitu. Qui postquam cum Heracliensibus, quorum urbem antea impugnare constituisset, legatione placatus amicitiam atque societatem instituit, ex eorum finibus egressus per Phrygiam in Bithyniam se convertit. Zipoetes vero insidiis collocatis improviso Syros invadit et ad unum omnes, quamquam fortiter repugnabant, occidit.[22]) Hac re praeclare gesta et Astacum urbem, quam a Lysimacho deletam supra memoravimus, restituit[23]) et ad Lyperum montem Zipoetium oppidum condidit.[24]) Neque magno post tempore

— Tio et Ciero Heracleotis cessisse, Nicomedem denique illas urbes sui iuris fecisse, prorsus a vero abhorreat, necesse est credamus, Tium et Cierum aut sua sponte Bithyniae regno sese adiunxisse aut a Zipoete vel paulo ante vel paulo post Patroclis internecionem Heracliensibus ereptas esse. Hoc et per se verisimile est, et elucere videtur e Memnonis verbis p. 227 a. 21.

20) Memn. p. 226 a. 38 sq.

21) Anno 280, Ol. 125, 1. cf. Euseb. Arm. I p. 345. Iustin. XVII, 2. Polyb. II, 41. App. Syr. 63.

22) Memn. p. 227 a. 4—14; aestate anni 280. Sevinum Memnonis verba p. 228 a. 25 in errorem induxerunt, Zipoetem post Patroclis internecionem ipsum Antiochum devicisse, quod tamen iam eo refutatur, quod Memnon p. 227 a. 15 dixit „*διὰ ταῦτα δὴ . . . Νικομήδης.*"

23) Pausan. V, 12, 7.

24) Memn. p. 228 a. 28. Steph. B. v. *Ζιποίτιον*.

septuagesimum sextum tum agens annum relictis quatuor filiis mortuus est, quum quadraginta octo annos regnavisset.[25]) — 278 a. Ch. n.

Cap. III.

Nicomedes I. 278—250?

Mortuo Zipoete Nicomedes, filius eius natu maximus, rerum potitus est [1]) iniquissimo tempore minimeque salvis auspiciis Namque primum Antiochus, Syriae rex, Patroclis cum exercitu internecionem vindicaturus expeditionem in Bithynos parabat. [2]) Cuius viribus ut posset resistere, Nicomedes ad Heraclienses legatos misit, qui subsidium ab iis peterent. Atque Heraclienses, et legatorum pollicitationibus, gratiam impetrati Bithynos esse relaturos, ubi in simili necessitate tempus flagitaret, maxime autem eo conciliati, quod Nicomedes multis impensis Cierum et Tium urbes et Thyniacam [3]) oram iis concedebat, auxilia decreverunt offerre.

---

25) Memn. l. l. Certum est, Nicomedem, Zipoetis filium et successorem aut exeunte anno 278 aut vere anni 277 Gallos a Byzantio in Asiam transmisisse. cf. Cap. III N. 25. Iam autem antea cum Heracliensibus per legatos societatem iunxerat et Antiochum pugna navali expertus erat. Itaque non longe a vero aberrabimus, si initium regni Nicomedis in annum ineuntem 278, Ol. 125, 2 constituerimus. Congruit id cum iis, quae de Zipoete comperimus. Is enim exeunte anno 280 Antiochi ducem occiderat, posteaque — 279 — urbem condiderat Zipoetium. Incidisse ergo videtur eius mors in Ol. 125, 2, regni initium in Ol. 100, 4 = 377/76 a. Chr. n.

1) Memn. p. 228 a. 30 sq. cf. Cap. II. N. 25.

2) Memn. p. 227 a. 15 sq.

3) De Thyniaca ora cf., quae Cap. I. N. 11 diximus. Num Nicomedes tota Thynia inde a Rheba vel a Psili Heracleotis concesserit, valde dubito.

Sub idem vero tempus Zipoetes fratris imperium detrectavit et Thyniam in sua tenebat ditione.[4]) Qui quum Heracliensibus ex pacto terram occupaturis tam fortiter resisteret, ut bona eorum pars caederetur, etiam aliae ad eum Bithyniae partes defecerunt.

Magnum igitur erat periculum huius rei, maius vero ab Antiocho imminebat. At Nicomedem animo non deficientem adiuvit fortuna. Dum enim ita in Bithynia se res habent, Antiochum inter et Antigonum, quippe qui uterque Macedoniae tamquam paterno regno inhiaret, magno apparatu utrimque instructo bellum concitatum est ac satis longum tempus consumpsit.[5]). Quo nihil Bithynorum regi accidit exoptatius. Namque eo exorto primum poterat non dubitare, quin Antiochus, cuius maxime interesset, ut Antigoni classem a Macedonia prohiberet, cum parva tantum copiarum parte Bithyniam aggrederetur; deinde autem recte sperare, Antigonum, ad cuius societatem extemplo sese applicavisset, sibi fore adiumento. Neque fefellit eum ea res. Quum enim Antiochus, priusquam cum Antigono congrederetur, Bithyniae bellum inferret et Nicomedes, ubi tum aliunde auxilia collegit, tum legatis de belli societate Heracleam missis tredecim in subsidium triremes accepit, classi Antiochi suam classem opposuisset, Syrorum naves aliquamdiu quidem in acie steterunt instructae, neque vero ausae sunt, pugnae facere initium, sed perdita opera aciem solverunt.[6])

4) Memn. p. 227 a. 28 sq. Fortasse exorta est haec seditio Nicomedis crudelitate „τοῖς ἀδελφοῖς οὐκ ἀδελφὸς, ἀλλα δήμιος γεγονώς. cf. Memn. p. 228 a.

5) Memn. p. 227 a. 39 sq. Hoc Memnonis testimonio et Eusebii loco II p. 231 nixus Droysenius primus rationem belli inter Antigonum et Antiochum gesti illustravit; quem videas, Hellen. II p. 173—176 (aliter I p. 661) — quocum compares Müllerum ad Porphyrium, frag. Hist. Gr. III p. 700 sq.

6) Memn. p. 227 b. 1—9.

Quo facto vacabat aliquamdiu Bithynia ab externo periculo, quoniam proximis mensibus bellum inter Antiochum et Antigonum excitatum exardescebat. Domestica vero seditio a Zipoete mota, quippe cui iam magna Bithyniae pars faveret, in maius diem de die periculum Nicomedem vocabat. Huc metus accedebat, ne Antiochus, ubi primum cum Antigono bellum composuisset, iterum Bithyniam invaderet. 7)

Quam rerum desperationem ut propulsaret, Nicomedes ad rationem confugit ad tempus quidem certam, sed extremi paene in posterum plenam discriminis. Tamen quoniam ad Gallorum mentionem ventum est, de iis, priusquam pergamus, pauca paulo altius repetita dicenda sunt.

Galli igitur, sive ut ipsorum lingua nominantur, Celtae, primas in Europa quidem sedes in tertia illa posterioris Galliae parte habebant, quae Rhodano, Garumnaque fluminibus, Oceano, finibus Belgarum continebatur; 8) magna vero sobole aucti ingentem annis vertentibus hominum multitudinem quoquoversus miserunt ad novas sedes quaerendas. Qui quum maximam partem ad orientem versus procederent, iam saeculi quarti ante Ch. n. initio fere omnia loca, quae Alpium montibus adiacent, tenebant, et irruptione illa in Italiam facta Romaque incensa permultis proeliis cum Romanis contenderunt. 9)

---

7) Multo maius erat periculum, si Iustino auctore iam pax constituta erat inter Macedoniae et Syriae reges. cf. Iustin. XXV, 1. At Iustino fides habenda non est, quia bellum non aliquot menses, sed, ut Memnon tradidit, *χρόνον συχνὸν κατέτριψεν*. Ita videlicet si vertimus Memnonis verba, ut apud Orellium (Berlin 1816) versa sunt „dum utriusque magnos belli apparatus instruuntur, satis longum tempus consumitur,“ non dissentiunt Memnon et Iustinus. Sed falsam esse eam versionem, quis non videt?

8) Liv. V, 34. Caes. b. g. I, 1. Diod. V, 32, Strab. p. 189.

9) Polyb. II, 14 sq. Iustin. XXIV, 4. Plut. Cam. 15.

Sub idem tempus alia Gallorum pars Illyricas Pannonicasque regiones possedit ibique domitis incolis cum finitimis varia bella gessit.[10]) Lysimacho autem Macedoniae Thraciaeque imperium obtinente hi quoque Galli extra suos fines ausi sunt praedatum egredi, sed in Thraciam Cambaule duce progressi quum intellegerent, minores esse suas copias, quam ut sustinere possent vim Graecorum, brevi domum redierunt.[11]) Neque tamen ex memoria poterant deponere, quantas in Graecorum aedibus divitias, quae templorum ornamenta, quam venustas puellas ac formosas mulieres vidissent, earum potius rerum crebris recitationibus omni gentis suae iuventuti tantum praedae amorem rapiendique cupiditatem iniecerunt, ut, quum mortuis Lysimacho et Seleuco turbatus atque valde solutus Macedoniae status irruptionibus favere videretur, ingentes[12]) Gallorum et peditum et equitum copiae ad latrocinia facienda in unum convenerint. Quibus in tres partes divisis sua cuique parti provincia attributa est.[13]) Unum enim Gallorum agmen Cerethrius in Thracum et Triballorum fines, alterum in Paeoniam Brennus et Acichorius duxerunt; cum tertia autem copiarum parte Belgius Macedones et Illyrios aggressus Ptolemaeum, Macedoniae regem, qui et Gallorum pacis conditionem et Dardanorum regis ultro oblata auxilia nimis temere aspernatus cum parva atque incomposita manu Gallis occurreret, una cum exercitu ad internecionem redegit[14]) eoque facto nullo prohibente, nam qui Ptolemaeo occiso Macedoniae imperio potiti sunt, Meleager et Antipater,

---

10) Iustin. l. l., Strab. p. 302, Pomp. Tr. prolog. 24.

11) Pausan. X, 19, 4.

12) Quae causa fuerit crescendae Gallorum multitudinis, fortasse ex Polyb. II, 20 intelligitur.

13) Pausan. X, 19, 4. Iustin. XXIV, 4 sq.

14) Memn. p. 226b. 38 sq. Ol. 124, 4 = 280 a. Chr. n.

ad bellum contra Gallos gerendum plane inertes erant,[15]) agros, domos, templa depopulatus magna potitus est praeda, quoad Sosthenes contracta Macedonum iuventute praedonibus acrius restitit. Qua re Belgius eodem anno, quo impressionem fecerat, quum cetera quoque Gallorum agmina domum iam rediissent, e Macedonia excessit.

Attamen non diu Galli intra fines suos sese continuerunt, quum Brennus, maiorem, quam se ipsum, praedam Belgium fecisse, indignatus tum publice universos conventus tum privatim Gallorum principes ad novam in Graecos expeditionem omni ratione sollicitaret.[16]) Nunc enim et publicae singularum civitatium pecuniae magnitudinem et donaria templorum et elaborati argenti aurique vim commemorabat, nunc convocatis in concionem viris et mulieribus ex captivis Graecis corpore infirmissimum quemque vestique sordidissimum iuxta Gallorum maximum quemque et speciosissimum armatura Gallica indutum collocans, nos, inquiebat, tanti ac tales contra homines ita imbecillos et parvos bellum paremus![17]) Quibus saepius repetitis persuasit Gallis, ut Graecis contemtis novum in eorum fines facere latrocinium constituerent. Ac tanta erat gentis eius tunc praedandi cupiditas, ut in hanc iam tertiam expeditionem peditum **152,000** et equitum, famulis duobus, qui ex Gallorum instituto singulos equites sequebantur, adiectis, amplius **61,200** nomina dederint.[18]) Quae ingens hominum vis quum aliis tum vero Acichorio et Brenno ducibus ad Graeciam versus processit; sed quum in Dardanos progressa esset,[19]) „seditio orta est et ad viginti millia

15) Euseb. Arm. I p. 331.

16) Pausan. X, 19, 5. Iustin. XXIV, 6.

17) Polyaen. VII, 35.

18) Pausan. l. l. Paulo minorem numerum Iustinus l. l. praebet.

19) Liv. XXXVIII, 16.

hominum cum Leonorio et Lutario regulis,[20]) secessione facta a Brenno, in Thraciam iter averterunt; ubi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendium imponendo Byzantium quum pervenissent, aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo [21]) regionis eius urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Asiam transeundi, audientes ex propinquo, quanta ubertas terrae eius esset, cepit: et Lysimachia fraude capta Chersonesoque omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt. Ibi vero exiguo divisam freto cernentibus Asiam multo magis animi ad transeundum accensi, nuncios ad Antipatrum, praefectum eius orae, de transitu mittebant. Quae res quum lentius spe ipsorum traheretur, alia rursus nova inter regulos orta est seditio. Leonorius retro, unde venerat, cum maiore parte hominum repetit Byzantium, Lutarius Macedonibus per speciem legationis ab Antipatro ad speculandum missis duas tectas naves et tres lembos adimit. His alios atque alios dies noctesque transvehendo, intra paucos dies omnes copias traiecit" statimque Ilium urbem occupavit; quo loco brevi post decedens, quod muris non esset munitus,[22]) in Asiam processit.

Interim Leonorius Byzantiorum fines, ut supra dictum est, iterum ingressus adversantibus iis frustra conabatur, suas quoque copias in Asiam traicere [23]). Tum Nicomedes consentientibus Byzantiis, Heracleotis ceterisque finitimis civitatibus Graecis, se eos sub quibusdam conditionibus traiecturum esse in Asiam, profitetur. Libenter Leonorius accipit conditiones, quarum formula haec erat:

---

20) Memn. p. 227 b. 28.

21) Memn. p. 227 b. 9 sq.

22) Hegesianax ap. Strab. XIII p. 594. Droysenius II p. 172 in errorem incidit Polybii locum V, 111, 4, ad hunc Gallorum in Asiam transitum referendo; quae enim Polybius loco laudato tradidit, sexaginta fere post annis facta sunt. cf. Cap. 5 n. 50.

23) Memn. l. l. 16—18.

„ut Galli Nicomedi eiusque posteris perpetuo amicitiae foedere coniuncti manerent; absque Nicomedis sententia et voluntate nemini, a quo per legatos sollicitarentur, in bellis opem ferrent, sed amicis huius amici et inimicis hostes forent; a Byzantiis etiam starent, si qua necessitas incideret et a Tianis et Heracliensibus et Chalcedoniis et Cieranis et aliis quibusdam civitatibus.“[24])

His legibus Nicomedes Leonorii copias in Asiam transmisit[25]) easque, postquam cum Lutarii manu in unum rursus coierunt, armis instructas adversus Zipoetem duxit, qui recenti pugna cum Heracliensibus victor discesserat.

Neque sustinuit Zipoetes vim Gallorum, sed aufugit[26]); quo facto et Heraclienses Thyniam sui iuris fecerunt[27]), et Nicomedes incolis, qui ab se defecissent, occisis omnique praeda, quam inter se dispertirentur, Gallis condonata, omnem rursus Bithyniam sub suum imperium redegit.[28])

Quae ubi primum confecta sunt, Galli statim ex Bithynia in Asiam processerunt, non plus ex viginti

---

24) Memn. l. l. 19—26.

25) Pausania X, 23, 9 auctore Galli in Asiam transierunt aut exeunte anno 278 aut ineunte anno 277. In eandem sententiam conveniunt Memnon et Livius; alter enim tradidit, Gallos *μετ' οὐ πολὺ* (postquam ad Byzantium pervenerunt), Bosporum transiisse; alter scripsit „aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo.“ Atqui complures Porphyrii (ad Eusebium) calculis de Antigoni Gonatae regni annis inducti Gallorum transitum in posteriora tempora (Flath. Mac. II p. 200 in Ol. 126, 3) reiecerunt; quos Droysenius II p. 173 sq. bene refellit.

26) Memn. p. 227a. 32 sq. 227b 36 sq. Quod Memnon dixit „*συμμαχίδος δὲ δυνάμεως τοῖς Ἡρακλεώταις ἐπελθούσης*“ etc., ad Nicomedem eiusque Gallos spectare mihi videtur.

27) Memn. l. l. a. 35: *εἶτα καὶ πάντων κύριοι, περὶ ὧν ἦν ὁ πόλεμος, καταστάντες.*

28) Memn. l. l. b. 37—40. et ad eum Orelli not. de „*πρῶτον*“. Liv. XXXVIII, 16. 8.

millibus hominum, quam decem armata erant;[29]) verum procera eorum corpora: promissae et rutilatae comae, vasta scuta, praelongi gladii, ad hoc cantus ineuntium proelium et ulutatus et tripudia et quatientium scuta, in patrium quemdam modum horrendus armorum crepitus, haec omnia, quippe quae insolita atque insueta essent,[30]) tantum terroris omnibus, quae cis Taurum incolebant, gentibus iniecerunt, ut, quas adissent quasque non adissent, pariter ultimae propinquis eorum imperio parerent. Postremo quum tres essent gentes, Tolistoboii, Trocmi, Tectosages, in tres partes, qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diviserunt. Trocmis Hellesponti ora data, Tolistoboii Aeolida atque Ioniam, Tectosagi mediterranea Asiae sortiti sunt.[31]) Et stipendium tota cis Taurum Asia exigebant.

Quo quum Syrorum imperium in citerioribus quidem Tauri in dubium vocaretur, Antiochum, ut omnibus viribus novo hosti posset resistere, Nicomedem pace inita pro rege ultro habuisse, cum veri specie coniicere mihi videor. Nam quod Nicomedes, ut Zipoetem regni aemulum, ita Antiochum quoque auxilio Gallorum propulsaverit a Bithyniae finibus, eius rei antiquorum scriptorum nemo ne uno quidem verbo fecit mentionem; contra potius et Memnon et Livius Gallos, ubi primum iis adiuvantibus Nicomedes fratrem expulit, statim ex Bithynia in Asiam procedentes faciunt pervagatum praedatumque. Quibus a latrociniis ut civitates suas defenderet, sane Antiochus Gallis intulit bellum; attamen in eo bello quum Galli tanta clade prostrati esse tradantur,[32]) ut pauci tantum aut mortem aut captivitatem

---

29) Liv. 38, 16, 9. 30) Liv. 38, 17, 3 sq.

31) Liv. 38, 16, 10. Pausan. X, 32, 5. Strab. p. 187, 566.

32) Lucian. pro Lapsu c. 9 p. 734. Zeuxis s. Ant. c. 8 sq. p. 846. Appian. Syr. 65. Ex ea victoria de Gallis deportata Antiochus cognomen Σωτὴρ sibi traxit. cf. Droysen. II p. 178.

fuga vitarent, prorsus a vero abhorrere videatur, eos tunc in Nicomedis gratiam proelio contendisse; namque ita si se res habuisset, Nicomedem suis porro legibus usum esse, nescio, an negaverim. Huc accedit, quod ab uno quidem antiquo scriptore traditum est, [33]) Gallos cum Antiocho et Bithynis bellum gessisse, id quod eam recentiorum sententiam, quam supra proposuimus, plane reiiciendam facit. Quis enim est, qui Nicomedem, ubi primum ab Antiochi impetu auxilio Gallorum sese defendit, extemplo Antiocho adversus Gallos gerenti bellum auxilia dedisse putet? Contra autem quid propius ad verum accedit, quam quod Nicomedes, postquam Antiochus, qui intellegeret, se adversus duos hostes Gallos et Bithynos eodem tempore bellum gerere non posse, regem eum appellavit, ipso cum Antiocho societatem inierit, ut coniunctis viribus ab communi hoste se defenderent? Namque apud Gallos adeo nihil foederis, quod cum Nicomede paulo ante fecerant, fides sancti habebat, ut etiam Bithyniam latrociniis suis vexarent. [34])

Iam vero ut in enarrandis Gallorum rebus, quatenus ad illustrandam pertinent Bithyniae historiam, progrediamur, parum videtur valuisse, quod Antiochus pugna illa superior iis fuit. Eaedem enim opes, quamvis

---

33) Pomp. Tr. prolog. XXV. Ut Galli transierunt in Asiam bellumque cum rege Antigono — (Antiocho) — et Bithynis gesserunt." „Antigono" est lectio vulgata, quam Droysenius II p. 178 ingeniose defendit et interpretatus est. „Antiocho" autem legitur in duobus optimis codicibus Vaticanis (cf. Jeep, Wolfenbüttl. Prog. 1855) quamobrem Jeepius novissimus Justini editor, „Antiocho" in textum recepit. Hanc Ieepii rationem omnino comprobare non dubito, quum non videam, quid obstet, quominus Gallos cum Nicomede et Antiocho bellum gessisse credamus. Prorsus enim a vero id tantum abhorret, Nicomedem cum Gallis adversus Antiochum proeliatum esse.

34) Strab. p. 566.

ad tempus quidem animi infracti essent, manserunt Gallis, tantusque etiam postea terror eorum nominis erat, ut Syriae quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent.[35] Tandem tamen diu Asiam longe lateque pervagati in unum rursus locum convenerunt atque ibi circa Halyn flumen Paphlagonibus meridiem versus sedem sibi ceperunt.[36] Quae terra quum maximam partem ad Nicomedis et Pergami principis imperium pertineret, uterque Gallos domiciliis collocatis incursionibus in suos fines se iam abstenturos esse ratus minime obstitit, quominus civitatem sibi constituerent.[37] Itaque tres Gallorum gentes in sua quaeque, quam occupaverant, parte castella sibi condiderunt[38] hisque sedibus, ab eorum nomine Galatia sive Gallo-graecia appellatis,[39] singulari quadam usi reipublicae forma[40] in posterum se continuerunt. Neque tamen quispiam ad credendum inducatur, eos inde ab eo tempore de pervagandi consuetudine aliquid misisse neque iam esse latrocinatos; e Galatia potius quasi e praedonum receptaculo per amplius saeculum omnes terras finitimas vexabant tantaque erant vi in ceteras Asiae civitates, ut, si Iustini[41] verbis uti licet, neque reges orientis

---

35) Liv. 38, 16, 14.

36) Liv. l. l. 13. Memn. p. 227 b. 41—42, Stephān. Byz. et Suidas s. v. Γαλᾶται. Hi scriptores in eam conveniunt sententiam, ut dicant, Gallos longo tempore post transitum per vim sedes sibi occupavisse inter Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Phrygiam; valde inaccurata ergo Iustini est memoria XXV, 2: „itaque in auxilium a Bithyniae rege invocati regnum cum eo diviserunt eamque regionem Gallograeciam cognominaverunt.“ cf. Strab. p. 187. 566. Plin. h. n. V, 42.

37) Strab. p. 566.

38) Strab. p. 187. 567. Plin. h. n. V, 42. Stephan. B. s. v. Ἄγκυρα. Memnon p. 228 a. 1—5 falsa tradidit de cuiusque populi castellis cf. Ptol. V, 4. V, 1, 9.

39) Diod. V, 32. 40) Strab. p. 567.

41) Iustin. XXV, 2, 9.

sine mercenario eorum exercitu ulla bella gererent, neque pulsi regno ad alios quam ad eos confugerent. Cuius rei multa nobis in reliqua Bithynorum quoque historiae parte exempla occurrent.

Bithynia pacata et ad regnorum numerum adscripta Nicomedes per omne reliquum vitae tempus, quum ipse pacem cum finitimis servaret neque ab iis bello lacesseretur, in conspicuo felicitatis gradu conlocatus [42]) domesticis regni sui rebus operam navavit. Quam ob causam multo magis dolendum est, quod nimis pauca de extrema eademque maiore eius vitae parte apud rerum scriptores nunc exstant. De amplius viginti enim annorum temporis spatio id unum tantummodo comperimus, urbem eum condidisse nomine suo insignem. Quae res digna est, cui insistamus.

Regnante Nicomede nulla erat in Bithynia urbs, quae vel magnitudine vel elegantia opulentiae regni atque claritudini responderet simulque ita sita esset, quae opportunissimum mercatoribus emporium praeberet. Zipoetium enim a Nicomedis patre conditum et Bithynium oppida [43]), quippe quae in orientali regni parte sita essent, ad neutrum, de quo supra dictum est, erant idonea; Nicaea [44]) autem, a Lysimacho ita quadratis angulis aedificata, ut, qui in medio gymnasii lapide consistebat, quatuor urbis portas videret, et in campo sita aestate parum salubri et difficiliori erat ad mare aditu.

Una Astacus [45]) quum amoeno tum opportunissimo ad mercaturam loco posita, sed fortunae varietate iactata, tum erat exigua et infirma.

---

42) Memn. p. 228 a. 5.

43) Mannerti coniecturam, Zipoetium et Bithynium urbes duas non fuisse, sed duo tantum nomina pro eadem urbe, iam eo refutatur, quod Stephanus utramque urbem in enumerandis Bithyniae urbibus discernit. cf. Steph. s. v.

44) Strab. p. 565. Steph. s. v. *Νίκαια* et *Βοτίειον*, Memn. p. 233 b. 35. Suidas v. *Νίκαια*, , Droysen. II p. 654.

Quae quum ita essent, Nicomedes ex Astaci regione [46], quam ceteris Bithyniae locis accommodatiorem consilio suo intellegeret, novam urbem, Astacenis in eam receptis, condidit suoque a nomine Nicomediam appellavit [47].

Vallis enim est ea regio, a septentrionibus meridieque perpetuis inclusa montium iugis, quae paribus fere intervallis inter se distantia a Propontide ad orientem versus excurrunt. Molliter ac clementer montes ex valle assurgunt in magnam altitudinem hique ascensus fertilissimi sunt. [48]) Ab occasu Propontidis fluctus in terram longe intrant sinumque efficiunt quum maximum, quem Bithynia recipit, tum navibus tutissimum. Orientalem autem vallis partem Sangarius perfluit, nobilissimum Bithyniae flumen patiensque navium [49]. Quo ex flumine ut facilius sit, onera in sinum transponere, inter utrumque lacus interiectus est amplissimus, [50]) qui quum in longitudinem circiter XVII millia passuum et

---

45) cf. Cap. I. n. 37.

46) Memn. p. 228 a. 6. Plin. h. n. V, 43. Libanius, Orat. 62 T. III p. 337 R. His scriptoribus, quippe qui prioris sint aetatis maioremque habeant auctoritatem, sine ulla dubitatione fides habenda est contra eos, qui Nicomedem Astacum restaurantem tantummodo faciunt, Pausan. V, 12, 7. Amm. Marc. XXII, 8, 4. Euseb. Arm. II p. 231, Fast. Sicul. p. 328 ed. D. Treb. Poll. Gall. p. 262 ed. Casel.

47) Olymp. 129, 1 = 264 a. Chr. test. Euseb. Arm. et Fast. sic. l. l.

48) cf. P. de Tschihatcheff, Asie mineure, Description . . . Paris 1853 I p. 554 sq., v. Fischer. ap. Ritter. Erdkunde 18 p. 656—658.

49) Strab. p. 543, 563. Polyb. XXII, 20, 4. Ritter l. l. p. 650. Sangarius a mari abest ccc fere stadia.

50) Apud antiquos scriptores nullum nomen lacus eius invenitur, nisi Amm. Marc. XXVI, 8, 3 eum Sumonensem intellegi voluit; aetate Byzantinorum dicebatur Sophon, hodie vocatur Sabandscha. Qui cuius quantique momenti sit mercaturas facientibus, Ritterus docuit, Erdk. XVIII p. 667—678.

quingentos pateat, a sinu XII tantum millia passuum abest. Ideo modico sumptu modicoque labore omnia, quae interiora Bithyniae gignunt, marmora, fructus, ligna, materiae per lacum usque ad viam navibus, inde vehiculis devehuntur.[51]) Hac loci natura, regionis amoenitate, fertilitate circumiacentium agrorum, securo portu, facili a Sangario ad mare aditu, Nicomedia brevi ita adolevit, ut Bithyniae et celeberrimum emporium et splendidissima[52]) urbs facta sit, praesertim quum Nicomedes, quamdiu vivebat, singularem in amplificandam eius fortunam adhibuisse diligentiam videatur. Ut enim praetermittam, quod templis, statuis, palatiis[53]) urbem exornavit, nonne, quum unum e Bithynorum regibus liceat intellegere, ipsum Nicomediae conditorem coniicere praestet eum fuisse regem, qui Plinio teste sive Sangarium sive Sumonensem lacum fossa mari committendum[54]) susceperat?

Dum in tanto fastigio Bithyniae regnum positum est, multaque ad augendas eius opes administrantur, domesticae regis res atque privatae fortunae adversitate iactantur. Ditizele enim, quam primam rex uxorem duxerat, quum lasciviorem cum marito iocum ageret,

---

51) Plin. Epist. X, 70. X, 72.

52) Miris laudibus Nicomediam praedicat Libanius Orat. 62, III p. 337 ed. R. Am. Marc. XXII, 9, Texier, Description de l'Asie mineure etc.; Paris 1839 I. Amst. p. 4: „Nicomedie groupé sur un verdoyant amphitéâtre se mire dans les eaux d'une mer limpide et calme. En goutant la fraîcheur et le repos à l'ombre de ses antiques platanes on aime à croire, comme les anciens, qu'elle fut fondée par une nymphe et qu'une main de femme lui a prodigue tout ce luxe champêtre." cf. M. Kinneir, Journal through Asia minor, Lond. 1818 I p, 386. Pococke III p. 143.

Hodie vocatur Ismid

53) De statua Iovis Stratii cf. Arrian. ap. Eust. ad Dion. 793, de Ditizelis sepulcro Tzetzem, Chil. III, 960 sq.

54) Cf. Interpretes ad Plin. Ep. V, 70, 72; Ritterus XVIII p. 668.

ab eius cane Molosso lacerata splendidissimeque inaurato sepulcro Nicomediae condita est. [55]) Atque haud ita multo post, quum Etazeta Nicomedis esset uxor, discordia domus regia evertitur. Huius enim novercae machinis Zeïlas, natu maximus regis filius, quem e priori matrimonio susceperat, ad Armeniorum regem profugere coactus, Nicomedes autem adeo devinctus est, ut morte imminente eius liberos, quamquam immatura ad id tempus aetate erant, Zeïla praeterito heredes regni scripserit. Ne vero a Zeïla irritum fieret hoc testamentum, et duos tum potentissimos reges, Ptolemaeum Aegyptum et Antigonum Macedonem, et populum Byzantiorum, Heracliensium, Cianorum curatores instituit. [56])

Quo testato mortuus est circiter annum, quantum coniectura auguror, 250 a. Chr. n. [57])

---

55) Tzetz. Chiliad. III, 950, Arriano auctore; caveas tamen, ne omnibus rebus a Tzetze narratis fidem attribuas; nam multis sese obstrinxit erroribus, de quibus conferas Clintonem fast. Hell. III p. 411 sq. — Plin. h. n. VIII, 40 Ditizelem appellavit Consingim „memoratur et Nicomedis, Bithyniae regis, uxore eius lacerata Consingi propter lasciviorem cum marito iocum.“ Hanc Consingim Vaillant. II p. 344 falso Nicomedis II uxorem fecit.

56) Memn. p. 228 b. 6 sq. De Nicomedis prudentia in constituendis curatoribus plura dixit Droisenius II p. 283 sq.

57) Quo anno mortuus sit Nicomedes, incertum est. Quum autem Memnon p. 228 b., postquam Nicomedis mortem, Zeïlae adversus curatores bellum et Gallorum in Heracleae fines impressionem enarravit, tum demum belli mentionem fecerit, quod Antiochus, Syriae rex, Byzantiis inlaturus fuit, manifestum est, Nicomedem mortuum esse pluribus annis ante Antiochum. Antiochus autem θεὸς e vita decessit Ol. 133, 2, ineunte anno 246 a. Chr. n., ergo Sevinus Nicomedis mortem cum veri specie retulit ad Ol. 132, 2—3, annum 250—249 a. Chr. n.

Cap. IV.

Zeïlas 250 — 230?

Vix nuntius mortis Nicomedis in Armeniam allatus erat, quum Zeïlas [1]) collecto exercitu, cui e Galatis Tolistoboii animos augebant, ad occupandum regnum paternum in Bithyniam maturavit. At Bithyni, quum ex Nicomedis testamento Etazetae liberis regnum vellent servare, eam Nicomedis fratri nuptum dederunt et exercitu a curatoribus accepto Zeïlam aggressi sunt. Ita grave bellum excitatum est, in quo et diu et varia fortuna proeliatum fuit, donec Heraclienses, Byzantiis et Ptolemaeo, ut videtur, consentientibus, [2]) dissentiente Antigono, Bithynos ad pactionem cum Zeïla ineundam adduxerunt. Quo ex pacto regnum ad Zeïlam transiit; [3]) Etazetae autem liberis Antigonus in Macedonia refugium videtur dedisse; ibi enim triginta

---

1) Memn. p. 228 b. 15 — 27. Circiter annum 250 a. Chr. n. cf. Cap. III n. 57. Quod ad scripturam nominis attinet, equidem Memnonem secutus, in cuius editione Beckeriana *Ζηΐλας* sine lectionis discrepantia legitur, non Zielam vel Zelam, ut plerique recentiores, sed Zeïlam exaravi. *Τρισυλλαβως* enim nomen scribendum esse, docent Stephanus (vid. N. 6.) et Plinius (v. n. 9.). Eandem scripturam Meineckius restituit in sua Stephani editione. De scriptura *Ζιηλα Ζηλα* cf. Oudendorp. ad bell. Alex. 72, Wesseling. ad Hierocl. in Ant. Itin. p. 701. Ad Stephanum s. v. *Νικομήδεια* necesse est annotes, verba *τοῦ Ζηΐλα παιδὸς* mutanda esse aut in *τοῦ Ζηΐλα πατρὸς* aut in *τοῦ Ζιποίτου παιδὸς*; qua de causa, in promptu est. Hoc denique loco facere non possum, quin vituperem Polybii editorem, Paris, Didot 1852, quod Schweighaeuseri indicem sane utilissimam nimis accurate exarandam curavit. In ea enim novissima Polybii editione (Ind. v. Prusias) legitur: „Prusias cognomine Zielas, pater Prusiae *τοῦ Κυνηγοῦ*“ et iam Cii expugnatio ad Prusiam II refertur.

2) Droysen II p. 283 sq.

3) Sevinus XV p. 34 nihilo, nisi sua opinione nixus Bithyniam in duo regna distribuendam fecit.

fere annis post Zipoetem quemdam, Nicomedis filium, commoratum esse, infra videbimus.

Quod ad Gallos attinet, Zeïlae mercenarios, indignati sunt belli finem ideoque Heracliensium agros pacis auctorum facta impressione usque ad Caletem [4]) fluvium depopulati sunt, magnaque potiti praeda domum redierunt.

Regno accepto quas res Zeïlas gesserit qualisque eo regnante fuerit Bithyniae status, densa caligine propter fontium desiderium obtectum est. Tres tamen res traditas invenimus, eum Cressam expugnavisse Paphlagoniae, [5]) condidisse Zeïlam Cappadociae urbem, filiam suam nuptum dedisse Antiocho Hieraci. [7])

Ex his Cressa siquidem eadem est urbs, quae Cratia sive imperantibus Romanis Flaviopolis appellabatur, [8]) neque longe aberat a Bithyniae finibus neque armis atque opibus plurimum valebat; quam ob rem nihil est, cur dubitemus, quin Bithyniae rex id oppidum simulque etiam finitimam Paphlagoniae partem in suam potestatem redegerit.

Neque vero eadem fide altera res digna videatur. Sane iisdem litteris utrumque nomen et Zeïlae regis et Zeïlae urbis scribitur, et ob eam causam, a rege urbem esse conditam, prope est, ut coniiciamus. Sed

---

4) Memn. p. 228 b. 26. Quod Galli Heracleae fines usque ad Caletem tantum fluvium pervastaverunt, significare videtur, tum Caletem Bithyniae et Heracleae fines diremisse. Idem fere terminus Xenophontis erat aetate. cf. Xen. Anab. VI, 4, 1.

5) Steph. B. v. *Κρῆσσα*. 6) Id. v. *Ζῆλα*.

7) Euseb. Arm. I p. 347.

8) In omnibus fere numis Cratiae urbis, quotquot nunc magno numero in numothecis servantur, legitur *Κρητιέων*; id quod significare videtur, Cressam et Cratiam eandem fuisse urbem. cf. Eckhel, Doctr. Num. II p. 412. Droysen. II p. 660. Ptolem. V, 1, 14. Hierokl. p. 695 c. not. Wessel., Ritter, Erdk. XVIII p. 708 sq. Hodieh Geredeh vocatur.

quum Zeïla in altera sita esset Cappadociae parte,[9]) quam Graeci Pontum appellabant, neque parvo spatio, interiecta Paphlagonia, a Bithyniae finibus distaret, difficile est intellectu, qua occasione, quoque consilio condiderit eam urbem Bithyniae rex.[10]) Itaque mihi qui-

---

9) Elucet id primum ex eo, quod antiqui scriptores urbem nomine Zeïlam in Cappadocia magna (cf. de Capp. bipart. Strab. p. 534) plane ignorant; deinde confirmatur testimonio Plinii, qui in enumerandis Ponti oppidis, postquam Zelam a Strabone p. 559—60 pluribus descriptam iam memoravit — h. n. VI, 3, 4 — haec dixit: „civitas Zeïla intus, nobilis clade Triarii et victoria Caii Caesaris." Illam igitur urbem Zeilas rex condidisse fertur, ad quam Mithridates Triarium superavit, — Dio C. XXXV, 12 sq. Appian. Mithr. 89. Plut. Lucull. 35 et a qua Caesar Pharnace devicto Romam nuntiavit: „veni, vidi, vici" — Dio C. XXXXII, 48, Pl. Caes. 50. App. b. c. II, 91. Sueton. 37.

10) Omnino duae condendi occasiones datae fuisse possunt. Zeïlas enim aut in gratiam Ponti regis, amici sui, aut occupata Ponti parte oppidum exstruxit. His e rebus quo propius altera ad verum accedere, eo longius abhorrere a vero altera mihi videatur. In Armenia enim quum Zeïlas domo profugus aliquamdiu commorabatur, tum facile fieri potuit, ut Ariobarzanem quoque, Ponti regem, adiret eoque optante urbem conderet, cui rex in Zeilae hospitis honorem nomen Zeilae indidit. Hac ratione si explicare volumus Zeïlae conditionem, iam nihil obstat, quominus fidem Stephano habeamus. Longe alia autem alterius rei ratio est. Namque primum Zeïlas, priusquam Pontum cum copiis invaderet, interiacentem terram Paphlagoniamque, ut a tergo tutus esset, in suam ditionem redegisset necesse erat; deinde, priusquam urbem in Ponto conderet, Ponti regem opibus minime infirmum fudisse fugavisseque debuerat. Sed quamvis magnae tum essent Bithyniae opes, tamen minores erant, quam ut Zeïlas tantas res perficere posset. Neque vero Bithynos societatem habuisse cum Galatis, qui mortuo Ariobarzane Mithridatem, eius filium, nondum imperio maturum aggrederentur, ex eo satis apparet, quod Memnon, p. 228 b. 31 sq., quamquam plura tradidit de ea Gallorum in Pontum irruptione, Zeïlae mentionem non fecit. Sed fac occupavisse Zeïlam sive solum sive Gallorum auxilio partem Ponti, intellegisne, quonam consilio Zeïlas urbem condiderit in terra a regni sui finibus remotissima? Quae quum ita sint,

dem verisimillimum esse videatur, Stephanum ex eadem utriusque nominis scribendi ratione, quemadmodum persaepe fiebat, collegisse, Zeïlam urbem a Zeïla rege esse conditam.

Iam vero tertium, quod de Zeïlae vita nimis obscura traditum supra accepimus, aliquid quidem lucis iis regis rebus videtur afferre, quae non multo gestae ante vitae exitum causa ei violentae mortis fuerunt. Nondum enim Zeïlas multos annos Bithyniae regnum obtinuerat, quum Antiochus, cui nomen Hieraci erat, Seleuci fratris, regis Syriae, imperium detrectans contra ipsum fratrem bellum movit, quod diu variaque fortuna gestum omnibus fere Asiae civitatibus miseriarum tempestates excitavit.[11]) Hoc a bello per longum tempus, quantum coniectare licet, Zeïlas aberat, neutrique parti se adiungebat. Tum Antiochus ad Magnesiam modo proelio superior factus Zeïlae filiam in suum petiit matrimonium.[12]) Ac Zeïlas, sive affinitate cum Seleucidarum genere iuncta ad summam dignitatem sese perductum ratus, sive, quod maxime rebus suis, si cum victore Antiocho societatem iniret, se consulturum sperabat, filiam ei collocavit atque ex eo partem belli, ut videtur, capessivit. Neque vero consilia sua suo tempore cum Antiocho iunxerat, namque tum maxime Attalus, Pergami princeps, provocatus vexationibus Gallorum, qui ab Antiocho mercede conducti Asiam depopulabantur, Antiochum Gallosque aggressus est magnamque

---

caveas ne Sevino ceterisque recentioribus, qui conniventibus, ut ita dicam, oculis Stephanum secuti sunt, fidem attribuas.

11) De hoc bello fraterno inter Seleucum Callinicum, Syriae regem (246—227, Ol. 133, 2—148, 2.), et Antiochum Hieracem conferas Euseb. Arm. I p. 346—347. Iustin. XXVII, 2—3. Droysen. II p. 4. Niebuhr, kleine Schriften I p. 280 sq. Müller. ad Porphyr. f. hist. Gr. III. p. 708 sq.

12) Euseb. loco II p. 347 evincitur, Antiochi cum Zeïlae filia matrimonium contractum esse inter Ol. 135 et Ol. 137, 3, ut videtur Ol. 137 cf. Niebuhr, Klein. Schriften I p. 284.

iis cladem attulit.[13]) Quo facto Zeïlas consilium iniit occidendi Gallorum principes, sed quum eos ad coenam, in qua interficerentur, vocavisset, iamque pocula circumferrentur, ipse interfectus est.[14]) Ol. 137, 3? = 230? a. Ch. n.

Cap. V.

Prusias I. Claudus 230? — 186?

Zeïla occiso Prusias filius dubiis temporibus regnum adeptus est;[1]) namque primum valde timendum erat,

---

13) Iustin. XXVII, 3. Strab. p. 621. Liv. 38, 16, Polyb. XVIII, 24, 7. Polyaen. IV, 19. Intelligitur his omnibus locis celeberrima illa Attali victoria, qua elatus regium nomen sibi adscivit; nam cum Niebuhrio in eam convenio sententiam, ut Attalus victoriam illam non de populo Gallico, sed de Gallis ab Antiocho mercede conductis, non igitur Ol. 135, sed Ol. 137 deportaverit. cf. Nieb. Kl. Schrift. I p. 286 – 287. Droysen II p. 416 sq. Müller. ad Porph. l. c.

Ad Iustini locum 27, 3 obiter annotare placet. omnino non assentiendum esse Vaillantio p. 309 grave Iustini peccatum „Rex Bithyniae Eumenes sparsis consumptisque fratribus bello intestinae discordiae etc.“ ita explicanti: „Dum sibi fratres in Bithynia bellum agunt, Eumenes, Pergami rex, plurimas eorum civitates cepit.“ Non enim Eumenes, sed Attalus rex Antiochum Gallosque superavit et verba „sparsis consumptisque fratribus“ non ad Nicomedis filios, sed ad Antiochum et Seleucum fratres spectant.

14) Phylarch. ap. Athen. II p. 58 C. Pomp. Tr. prol. 27. Haec Zeïlae caedes quo fere tempore facta sit, constitui potest ex rerum ordine, qui servatur in prologo Pompei modo laudata. Facta enim est post victoriam Attali et ante Antiochi in Mesopotamia cladem et fugam ad Ariamenem. Quae tamen duae res quum ipsae in certum tempus constitui non possint, pro certo id tantum licet habere, quod Zeïlas mortuus est haud ita multo ante Antiochum, cuius mors incidit in Ol. 128, 1 = 228/27 a. Chr. n. Euseb. Arm. II p. 347.

1) Cf. Cap. IV. n. 14. Ex ordine rerum in prologo Pompei servato supra intelleximus, Zeïlae mortem, Prusiae ergo regni

ne Galli Zeïlae insidias etiam a Bithynis vindicarent; deinde regni aemulus in Macedonia Zipoetes commorabatur,[2]) qui, quod ad eum, Nicomedis ex Etazeta filium, maiore cum iure, quam ad ipsum Prusiam, regnum spectare videretur, ne facillime, si Bithyniae hostes adiumento forent, intestinum bellum excitaret, haud parvum erat periculum. Huc accedebat, quod Pergamenus Attalus regio ornatu nomineque modo sumpto regni sui fines latius in dies extendebat, quam quod Prusias aequo animo ferre posset. Mortuis enim Antiocho et Seleuco quum nemodum ei resisteret, Attalus maiorem Asiae, quae cis Taurum montem erat, partem[3]) sub suam potestatem redigebat atque ita, quum divitiis insuper abundaret, quibus prudenter utendo magnum Gallorum mercenariorum numerum quovis tempore conducere posset,

---

initium, minimum constituendum esse in annum 228; id nunc Polybii testimonio confirmare possumus. Is enim V, 88—90, quum inter eos reges, qui Rhodiis terrae motu conquassatis ingentia dona dedissent, Seleucum quoque, patrem Antiochi, et Prusiam retulerit, manifestum est, hunc iam ante illius mortem, ergo iam ante Ol. 128, 2, 227/26 a. Chr. n., quo anno mortuus est Seleucus Callinicus (cf. Euseb. Arm. p. 347. Iustin. XXVII, 3.), regnare coepisse. Hoc argumentum firmum est, quare de aliis argumentis ex ipso Polybio exhaustis, quibus Prusiam multo tempore ante bellum cum Byzantiis gestum regnum adeptum esse potest demonstrari, plura non dicam, sed ad Clintonem, fast. Hell. III p. 411 sq. lectores allego.

2) Polyb. IV, 50. Non dubium est, quin Zipoetes, qui a Polybio *Τιβοίτης*, Prusiae *πατρὸς ἀδελφός*, vocatur, ceterique Nicomedis ex Etazeta liberi extemplo post Zeïlae regni initium Bithyniam reliquerint; itaque, ne Sevinus te in errorem inducat, caveas, qui XVI p. 141 Prusiam, simulac regnum adeptus esset, Etazetae et Zipoeti, alterius partis Bithyniae regibus (cf. Cap. IV n. 3.), bellum intulisse eosque e Bithyniae finibus expulisse enarravit.

3) Polyb. IV, 48. Iustin. XXVII, 3. Polybii verba, omnem cis Taurum Asiam Attali fuisse, parum accurata sunt, quoniam Ptolemaeus etiam, Aegypti rex, magnam Asiae partem tenebat.

et armis et opibus et potentia omnes cis Taurum reges longe praestabat. Quae res Prusiam eo magis anxium atque inquietum habebat, quod finitimae quoque civitates Graecae aversissimo erant a Bithynis animo. Imprimis Byzantii, quotiescunque occasio data erat, spiritus hostiles adversus Prusiam induebant. Primum enim statuas, quas ei dicare decreverant, non posuerunt, sed cunctatione atque oblivione rem istam conterebant;[4]) deinde ad Attalum quidem, quum Minervae ludicrum celebraret, legatos, qui solemnibus interessent, miserunt, sed ad Prusiam Soteriorum[5]) solemne agitantem nemo ab iis missus est.[6]) Huc accessit, quod quum oppida quaedam in ipsis Bithyniae finibus posita, tum vero magna pars Mysiae orae Byzantiorum dicionis erant,[7]) cumque iis, ut antea, sic tum quoque Heraclienses nec minus Chalcedonii et Ciani consilia communicabant. Ita undique infensis atque inimicis civitatibus septa in maximum periculum Bithynia adducta fuisset, si Attalus rebus secundis elatus eam tentasset. At in hoc statu dum Bithyniae res versantur, accidit, ut Seleucus Ceraunus, Syriae rex, quum ab eo iam anno, quo regnare primum coeperat, bellum adversus Attalum summa vi paravisset, expeditionem in citeriora Tauri moliretur. Vixdum autem Taurum magno cum exercitu atque comitante Achaeo, avunculi sui filio, transgressus erat, quum ab Apaturio Gallo et Nicanore per insidias

---

4) Polyb. IV, 49.

5) Qua de causa Bithyni Soteria celebraverint, non constat; certe autem falsa sunt, quae Vaillantius dicit, instituta esse ea a Prusia propter victoriam de Gallis Aegosagibus deportatam; namque ea victoria Prusias septem fere annis post id tempus, de quo nunc agimus, potitus est. cf. n. 50.

6) Polyb. IV, 49.

7) Polyb. IV, 50, 52. Qua ratione quoque tempore eam Mysiae partem Byzantii occupaverint, non liquet; Polybius solum tradidit, multo ante tempore Byzantios eam sui iuris fecisse.

circumventus occisus est.[8]) Sed Achaeus, trucidatis regis interfectoribus ac praetermissa Syriae regni adipiscendi occasione, cum omnibus copiis in itinere perrexit et regni Pergameni fines ingressus Attalum in ipsam urbem Pergami conclusit.[9]) Hac re, tametsi, quum Achaeus ad restituendum Seleucidarum imperium in citeriora Tauri descendisset, timendum erat, ne Bithynia quoque in discrimen vocaretur, tamen Prusias vehementer in sinu gavisus est; sperabat enim, eo bello alterum alterius opes tantopere esse comminuturum, ut sibi suisque rebus ab utroque non iam opus esset timere.

Quae spes frustra fuit. Nam Achaeus, postquam omnem terram, quam Pergami rex Syriae regi antea eripuerat, sui rursus iuris fecit atque ita Attalum intra paterni regni fines reiecit,[10]) maxime, ut videtur, in Byzantiorum gratiam quam summum studium ad dirimendas inter Achaeum et Attalum inimicitias conferentium Pergamum bello iam persequi destitit[11]) et Sardibus, quum ei Antiochus, ad quem post Seleuci mortem regnum Syriae transierat, Asiam cis Taurum regendam dedisset,[12]) sedem ac domicilium constituit.[13]) Neque multo post ab Antiocho deficiens regium nomen sibi adscivit,[14]) quo facto omnium cis Taurum regum et potentissimus et maxime formidabilis erat.[15]) Ita loco unius duo reges exstabant, qui infenso in Bithyniae regem animo Bithyniam oblata occasione in dubium possent adducere. Quod incommodum quum Prusias maximam partem Byzantiis ascriberet, quippe qui sese

---

8) Polyb. IV, 48, V, 40. Euseb. Arm. I p. 347. App. Syr. 66. Pomp. Tr. prol. 27. Facta est caedes Ol. 139, 2 = 223/22 a. Chr. n. Achaeus filius erat Andromachi, qui frater erat Laodices, uxoris Callinici. cf. Polyb. IV, 51, 4. VIII, 22.

9) Polyb. IV, 58. 10) Id. IV, 48. 11) Id. IV, 49.

12) Polyb. V, 40. 13) Id. V, 77, 57.

14) Polyb. IV, 48. V, 57. 15) Id. IV, 2, 48. V, 77.

interposuissent, etiam maius, quam antea, in eos odium concepit temporique insidiabatur omnes, quas sibi intulissent, iniurias ab iis vindicandi.

Tum Rhodii legatos ad eum miserunt, qui peterent, ut consilia secum iungeret ad bellum Byzantiis inferendum.[16]) Neque praetermittit Prusias oblatam indulgendi irae occasionem, sed avidissime eam arripiens statim auxilia pollicetur.[17])

Priusquam tamen, quam strenuum sese praebuerit Prusias eo bello, exponamus, paucis dicendum est, quaenam fuerit causa, cur Rhodii Byzantiis bellum essent inlaturi.

Byzantii locum tenebant mari quidem opportunissimum ad vitam et secure et beate degendam, terra vero ad utrumque horum minime accommodatum.[18]) Quum enim ita Ponti orae imminerent, ut sine eorum voluntate nulla navis neque intrare neque exire Ponto posset, omnia, quae Ponticae regiones procreabant, in eorum manu sita erant. Multis autem rebus ad vitam vel necessariis vel ab hominibus tum expetitis Pontica loca abundabant, pecore, optimis servis, frumento, melle, cera, salsamentis, lignis navibus fabricandis; oleo contra vinoque carebant. Illae igitur res quum exportarentur haeque importarentur,[19]) quaeque vero navis iis onusta iam aquarum Bospori fluxu[20]) necessario Byzantium deveheretur, ea urbs quum emporio florentissima tum vero utique mercatoribus necessaria erat.

---

16) Polyb. IV, 47. 17) Id. IV, 49. 18) Id. IV, 38.

19) De mercatura Pontica apud antiquos primum conferas permultos antiquorum scriptorum locos, quos Aug. Wolffius laudavit ad Dem. Leptin. p. 466, 25., ed. Brem. p. 311, deinde e recentioribus imprimis Formaleoni, Storia philosophica e politica della navigazione, del commercio e delle colonie degli Antichi nel mar nero, Venez. 1789. 8°. comp. c. Taitbout de Marigny, Pilote et Atlas de la mer noire, Odessa 1850.

20) Polyb. IV, 43—44. Strab. p. 320. Tac. Arm. XII, 63.

Omnium enim mercium Ponticarum commercio aut omnino Graecis fuerat carendum, aut nulla cnm utilitate id fuerat faciendum, si Byzantii illa loca non inhabitassent, aut deteriora consilia secuti cum confinia accolentibus societatem iniissent; namque partim propter Bospori angustias, partim propter accolentium barbarorum multitudinem erepta fuisset Graecis in Pontum navigandi facultas. Haec causa fuit, cur Byzantiis, quotiescunque a barbaris in periculum erant adducti, ab omni Graecia auxilia darentur. [21])

Verum in discrimine fere semper Byzantii versabantur ob terrae, ut supra dictum est, iniquitatem. [22]) Quoniam enim Thracia fines eorum, ut circino circumducta, a mari ad mare cingebat, perpetuum ac difficile iis adversus Thraces bellum erat gerendum. Nam ut magno belli apparatu instructo semel barbaris superiores essent, debellare propter multitudinem barbarorum et dynastarum minime poterant, quod, si unum superaverant, illico tres alii dynastae etiam potentiores in prioris locum succedebant; sin vero pactione facta ad tributa hosti solvenda descenderant, quinque mox pro uno hostes ea re illecti exsistebant.

Ac hisce malis etiam supplicium quoddam accedebat quasi Tantaleum. [23])

Byzantiorum enim agri quum fertilissimi essent, postquam magno labore culti sunt, ingentem optimorum fructuum copiam proferebant. Vix autem segetes sive florebant sive messi erant maturae, quum, qui modo eas magna cum opera magnoque sumptu severant, a barbaris eas aut perdi aut collectas auferri oculis suis viderunt. Haec inspectantes lugebant quidem Byzantii frugum praestantiam suamque fortunam commiserabantur, sed ex multis annis malo assuefacti tolerabant conditionem

---

21) Exemplum videas ap. Memn. p. 227 b. 10 sq.
22) Polyb. IV, 44 sq. 23) Id. IV, 45.

iniquissimam neque antiqua cum Graecis iura violabant. Tum novus iis idemque perniciosior hostis accessit.

Gallorum [24]) enim ingentes copiae, quas duce Brenno in Dardaniam processisse, supra diximus, Sosthene devicto et Macedonia vastata [25]) Graeciam invaserunt, sed quum Delphicum templum impugnaturi essent, maximam partem et proelio et tempestate orta perierunt. [26]) Ex his igitur qui periculum effugerant, [27]) Commontorio duce ad Hellespontum progressi nequaquam, Leonorium imitati, in Asiam transierunt, sed fertilitate agrorum circa Byzantium capti, Thracibus devictis, in ipso Byzantii confinio regnum instituerunt, cui nomen Tulae inditum est. [28]) Quo facto quum crebras in Byzantiorum agros incursiones facerent, Byzantii iis primum quidem, ut recederent ab armis et absisterent agrorum vastatione, trina aut quina, interdum etiam dena aureorum millia pendebant, tandem vero octoginta quoque anno talenta tributi nomine pensitare coacti sunt. Quam magnam pecuniam quum non essent solvendo, nisi cives tributo vellent conficere, in omnes civitates Graecas legatos miserunt, qui subsidia et auxilia ab iis peterent. Sed plerique Graeci tunc Byzantiorum miserias a se alienas arbitrati collationem non conferebant. [29])

---

24) Polyb. IV, 46. 25) Id. IX, 35.

26) Pausan. X, 20 sq. Iustin. XXIV, 6 sq. Cic. de divin. I, 37.

27) Hoc Polybii testimonio refutantur Pausanias X, 23, 8 et Iustinus XXIV, 8, 16, qui etiam tradidit: „Quo pacto evenit, ut nemo ex tanto exercitu, qui paulo ante fiducia virium etiam adversus deos contendebant, vel ad memoriam tantae cladis superesset.“ Repugnavit sibi ipse XXXII, 3, 6.“

28) Iustin. l. l. Ad hoc regnum spectare mihi videtur Pomp. Trog. prolog. XXV „quas regiones Tyleni (ante Ieep. Felini) occuparunt.“

29) Polyb. IV, 46. 47.

Itaque Byzantii necessitate adacti ab omnibus, qui in Pontum navigabant, portorium exigere instituerunt.[30])

Ubi primum autem Ponticis mercibus vectigal impositum est, conclamant omnes nautae omnesque mercatores de ingenti damno, de incommodo sibi inlato, de indigno facinore; incusant Rhodios, qui tum maris imperium tenebant, quod aequo animo tantam ferrent iniuriam. Rhodii igitur et proprio et aliorum detrimentis excitati [31]) initio per legatos, sociis etiam adiunctis, a Byzantiis postularunt, ut tollerent portorium, deinde autem, quum, quia Olympiodorus et Hecatondorus, summi tum apud Byzantios magistratus, publica de portorio cum legatis disputatione, iustam esse vectigalis causam, populo persuaserant, infecta re legati Rhodum rediissent, bellum Byzantiis indixerunt statimque Prusiam, quem vehementer iis infensum sciebant, legatione missa ad belli societatem adhortati sunt. Neque invite Prusias, ut iam supra dictum est, Rhodiorum voluntati morem gerens cum legatis ita constituit, ut rem mari gerere illi susciperent, ipse non minora detrimenta se terra hostibus inlaturum promitteret.[32])

Sed Byzantii quoque Rhodiorum exemplum secuti non frustra armorum socios circumspiciebant; [33]) quum enim et ad Attalum et ad Achaeum legatos misissent, uterque ad consilia cum iis iungenda propensus erat. Itaque magnam victoriae spem conceperunt; namque etsi Attali opes bello cum Achaeo modo gesto tantopere erant attenuatae, ut leve tantum ad victoriam momentum posset afferre, tamen Achaeus iam promisso, se auxilia iis esse daturum, ingentem et Prusiae et Rhodiis terrorem iniecit.

---

30) Neque tamen Byzantii primi exactores portorii fuerunt; iam enim Ol. 92, 2 Athenienses Chrysopoli occupata ex Alcibiadis consilio portorium exegerant. cf. Polyb. IV, 44 Xen. H. I, 1, 22.

31) Polyb. IV, 47. 32) Id. IV, 49. 33) Id. IV, 48.

Nihilo tamen [34]) minus Prusias summa industria maximaque strenuitate belli initium [35]) fecit et, quamquam Byzantii, quum non solum Achaei auxilio confiderent, sed accito e Macedonia Zipoete etiam intestinos in Bithynia motus se excitaturos sperarent, fortissime resistebant, primum Hieron [36]) expugnavit, quod oppidum erat maximi hostibus momenti. Id enim quum in extrema Bithyniae parte et Ponto et Bosporo proxima positum et ab Europa fanoque Sarapidis XII tantum stadia abesset, Byzantii paucis ante annis magna pecunia emerant, ne portorio imposito cuipiam refugium

---

34) Polyb. IV, 50.

35) Polyb. IV, 48 tradidit, Seleucum Ceraunum duobus circiter annis ante, quam Rhodii Byzantiis bellum inferrent, Taurum transgressum et occisum esse. cf. n. 8. Itaque belli initium factum est Ol. 139, 4 = 221/20 a. Chr. n. Pugnatum est per annum Ol. 140, 1 = 220/219; finitum est bellum anno 219. cf. Polyb. IV, 37.

36) Locus sacer erat a statua et fano Iovis *Οὐρίου*, quod Iason, quum e Colchis reverteretur, ibi condidisse fertur. cf. Herod. IV, 87. Pomp. Mel. 1, 19; 40. Polyb. IV, 39, 6. Schol. Apoll. II, 532. Huius Iovis Urii, id est, Iovis fluctus componentis et lenes ventorum flatus emittentis, etiam Ciceronis aetate tria in orbe terrarum signa ferebantur, unum hoc Ponticum, de quo agimus, alterum illud Macedonicum, quod captum Flamininus in Capitolio posuerat, tertium, quod Syracusis ante Verrem praetorem fuit. Uno in genere pulcherrime facta erant et magnam imperiosamque in habitu dignitatem habebant; quae causa fortasse fuit, cur Romani Iovem Imperatorem nominarent. Hieri facillime, ne dicam necessario, cultus Iovis Urii exoriundus erat; extremum enim quum esset *ἀφετήριον τοῖς εἰς τὸν Πόντον πλέουσιν* (Peripl. P. Eux. §. 12.) prope erat, ut nautae, priusquam navigarent in mare nebulosum, aquilonibus vicinum, raris stationibus, et quia non profundus erat, fluctuosum atque fervens, cf. Pomp. Mel. I, 19. Plin. h. n. VI, 1., hostias immolando a Iove sibi precarentur *οὖρον*, ventum secundum. — Haec dicere placebat de Hiero oppido; plura scriptores te docebunt, quorum locos laudaverunt Valesius ad Harpocr. p. 35. Wessel. ad Petit. Leg. Attic. p. 503, imprimis autem conferas Cic. Verrin. IV, 57—58, O. Jahn, Archäol. Aufsätze p. 31—45.

relinquerent, neque mercatoribus, qui in Pontum navigarent, neque iis, qui vel mancipia inde peterent, vel piscariam in Ponto facerent.

Deinde Prusias etiam Mysiae partem Byzantiis eripuit, quam a longo iam tempore eos tenuisse, supra memoravimus.

Dum haec a Prusia geruntur, [37]) Xenophantus, quem Rhodii classi praefecerant, cum decem navibus partim a Rhodiis partim ab eorum sociis adornatis ad Hellespontnm contendit et reliquis navibus circa Sestum relictis, ut in Pontum navigationem impedirent, unam abduxit ad tentandos Byzantiorum animos, num perterriti bello consilium mutarent. Quod quum minime vellent, discessit Xenophantus atque cum universa classe Rhodum rediit.

Interea Byzantii et Achaeum adhortati sunt, [38]) ut iam sibi adiumento esset, et in Macedoniam legatos miserunt, qui Zipoetem in patriam reducerent. Quae altera res [39]) tanto Prusiam afficiebat timore, ut non solum ex castellis ad mare positis omnia, quae in bellum usui esse possent, tela, materiam, lapides, tegulas abstulerit, sed ipsa etiam castella demolitus sit.

Rhodii autem quum intellegerent, [40]) quam constanter Byzantii tenerent propositum suum, quumque animadverterent, maximam eorum spem in Achaeo esse sitam, sollertem inierunt rationem eo rem deducendi, quo intendebant. In custodia Alexandriae habebatur pater Achaei, Andromachus, a filio unice dilectus. Quem ut in libertatem vindicarent, eoque Achaeum sibi obstringerent, iam antea quidem, nec tamen professo studio, enixi erant; iam vero maiorem ea in re operam collocaturi ad Ptolemaeum legatos miserunt, qui peterent ab eo Andromachi libertatem. Et Ptolemaeus,

---

37) Polyb. IV, 50. 38) Id. l. l. 39) Id. IV, 52.
40) Id. IV, 50 extr. 51.

tametsi non dubitabat, quin, si retineret Andromachum, magnopere suis rebus consuleret, tamen Rhodiorum precibus, quoniam omnibus rebus gratum illis facere cupiebat, indulsit et Andromachum iis tradidit. Rhodii igitur, nonnullis etiam honoribus Achaeo decretis, patrem filio restituerunt atque ita maximam Byzantiorum spem ad irritum redegere. Quam rem dum Byzantii etiam deplorant, [41]) altera quoque spes, qua non minus innixi erant, eos fefellit. Zipoetes enim e Macedonia in patriam profecturus in itinere e vita decessit.

Qua re Prusias animo erectus novoque ad bellum studio incitatus non ipse tantum ab Asia acerrime bellum reparavit, sed per Thraces etiam mercede conductos [42]) adeo Byzantios pressit, ut ab Europae partibus ne porta quidem pedem possent efferre.

Ita undique bello vexati atque omni spe deiecti Byzantii honestum aliquem belli exitum circumspiciebant.

Eo tempore Cavarus, Gallorum rex, cui in optatis erat bellum componere, [43]) Byzantium venit civibusque desperantibus promisit, ita se manus distenturum et curaturum esse, ne iam ullam illis iniuriam Prusias inferret. [44]) Et re vera sollertissimus fuit pacis reconciliator; brevi enim post tempore inclinabat Prusiae animus, ut ab armis recederet.

---

41) Polyb. IV, 51, ext.

42) Docet ea res, tunc non iam totam circa Byzantium regionem Gallorum fuisse dicionis, sed Thraces olim a Gallis repulsos fines suos rursus extendisse. Qui quum inviderent Gallis et imperium et tributum, quod a Byzantiis exigerent, sine dubio facile fuit Prusiae, commovere eos, ut Byzantium bello urgerent.

43) Polyb. IV, 52, VIII, 24. Cavarus duobus potissimum de causis operam navavisse videtur, ut bellum componeret; primum, quia Thraces Prusiae opibus nixi suum imperium minuerent; deinde quod metuebat, ne Byzantii, si diutius bello premerentur, non iam pendere possent tributum octoginta talentorum.

44) Polyb. frag. hist. 48 ed. Sch.

Quod ubi primum Rhodii cognoverunt, statim ad Byzantios, ut suum quoque propositum peragerent, quum Aridicem legatum, tum vero Polemoclem cum tribus triremibus — hastam simul et caduceum, sicut proverbio dicitur — proficisci iusserunt. Qui quum Byzantium pervenissent, Cothone, Calligeitonis filio, Hieromnemone,[45] — 219 a. Ch. n. — cum Rhodiis quidem in hanc conditionem pax convenit: „Ne Byzantii ullum portorium ab iis exigerent, qni in Pontum navigarent; hoc si fieret, et Rhodios et eorum socios pacem cum Byzantiis esse servaturos;“ cum Prusia autem in hasce:

„Prusiae et Byzantiis pax et amicitia perpetuae sunto;[46] neque Byzantii Prusiam ullo modo nec Prusias Byzantios aggrediuntor; reddito autem Prusias Byzantiis et agros et castella et populos et mancipia bello capta sine pretio; ad haec naves per initia belli captas, et tela in castellis reperta et materiam omneque lapidum genus tegulasque ex Hiero oppido ablatas; ultra cogito Prusias Bithynos, quaecunque nonnulli eorum de Byzantiorum agro in Mysia ad se rapuissent, restituere agrorum cultoribus.“

Omnia igitur, quae bello Bithyni ceperant, Prusias Byzantiis restituit; cuius rei quaenam fuerit causa, nescio quid magis scire desiderem. Neque enim paullulum miror, quod Prusias, quum Byzantii de bono belli exitu iam desperabant, ipse autem mortuo Zipoete regni aemuli metu vacabat simulque undique urgebat

---

45) De Hieromnemonibus apud Graecos cf. Hermann, Staatsalterth. ed. 4. p. 56—59. Schoemann, Antiq. i. pub. Gr. p. 392. Apud Byzantios Hieromnemones iidem fuisse videntur, atque apud Athenienses Eponymi. cf. Dem. de Corona §. 90 ad eumque Droysen, über die Echtheit der Urkunden in Demosthenes Rede vom Kranz. Quo anno Cothon Hieromnemon fuerit, non constat, nisi ex hoc Polybii loco.

46) Polyb. IV, 52.

hostes, tum maxime pace inita omnem remisit fructum, quem ex bello a Rhodiis quidem conflato, a se autem acerrime gesto habebat. Certe ut his conditionibus ab armis recederet, neque mercaturae interpellatio neque taedium belli eum impulerunt; conjectura potius merito augurari mihi videar, Prusiam maxime propterea ad illas conditiones descendisse, quod iam ab Achaeo, cuius et potentia et insolentia adeo creverant, ut consiliis cum Ptolemaeo iunctis etiam Antiochi imperio insidiaretur, [47]) sibi suisque rebus timebat.

Neque vanus fuit Prusiae metus; nondum enim diu pacem cum Byzantiis coluerat, quum Achaeus Myliade et Pamphyliae parte occupata Sardes profectus Bithyniae quoque arma intentavit; [48]) gravioribus tamen rebus paulo post implicatus ultra minas non processit.

Itaque Prusias tempori non defuit vires suas conferendi ad facinus praeclare edendum. Aegosages enim Galli [49]) ab Attalo ad bellum contra Achaeum gerendum ex Europa acciti atque, quum Aeolide Mysiaque subiectis ulterius se profecturos negavissent, ad Hellespontum deducti eius regionis urbes diu vexaverant, tandem vero ab Alexandrensibus commeatu intercludendo impetusque fortiter propulsando ex universa Troade expulsi erant. Iam vero impressione facta in Abydenorum fines et occupata urbe Arisba ex insidiis finitimas urbes invadebant atque assiduum adversus eas gerebant bellum.

Tum Prusias hanc praedonum turbam ad internecionem delere animum induxit; aggressus igitur eos trucidat viros in ipso proelio, in castris captis mulieres liberosque iugulat, impedimenta victori militi disper-

---

47) Polyb. V, 42. 57. 66.

48) Polyb. V, 77. Tandem Achaeus ab Antiocho Sardibus captis supplicio affectus est anno 215 a. Chr. n. cf. Polyb. VIII. 23.

49) Polyb. V, 77.

tienda concedit.[50]) Quo facinore perpetrato (Ol. **140**, **4** f.) quum et urbes Hellespontiacas magno metu ac periculo liberasset et Gallorum in Asiam transeundi cupiditatem aliquamdiu restinxisset, non solum Graecorum gratiam Hellespontiaca loca colentium cepit, sed ut Gallorum devictor etiam magnam gloriam atque auctoritatem apud omnes, qui Asiam cis Taurum habitabant, Graecos sibi comparavit.

Per idem ferme tempus Prusias necessitudinis cum Philippo, Macedoniae rege, vincula eo videtur contraxisse, quod eius sive germanam sive uterinam sororem,[51]) cui nomen Apamae erat, uxorem duxit. Ob eam enim causam in primo Macedonico, quod dicunt, bello, a partibus Philippi stetit eiusque rationibus summa cum industria consuluit. Neque enim solum Philippi classi naves adiunxit,[52]) sed etiam, ut Attalum, sedulum Romanorum et Aetolorum socium, impediret, quominus iis amplius esset adiumento, in regni Pergameni fines impressionem

---

50) Polyb. V, 111. Ol. 140, 4., 216 a. Chr.

51) Polyb. XV, 22. Prusiam κηδεστὴν Philippi appellavit; quae vox quum latiorem habeat ambitum, quam gener, iam propterea cum Vaillantio p. 317 in eam convenire sententiam nequeo, ut Prusiam Philippi filiam uxorem duxisse confirmem. Omnino autem refutant Vaillantium haecce argumenta: 1) Prusiae Venatoris uxor soror erat Persei, filia Philippi cf. Liv. 42, 12, 29. App. Mithrid. 2. Maced. 9.; itaque parum verisimile est, etiam Prusiam I. Philippi filiam duxisse, quod si hoc verum esset, Prusiae Venatoris et uxor et mater Philippi filia fuisset. 2) Philippus Ol. 139, 4 = 220 a. Chr. n. Macedoniae regnum adeptus est, iuvenis septendecim annorum. cf. Polyb. IV, 5. II, 70. Prusias autem sine dubio pluribus annis ante Ol. 143, 1 necessitudinis vinculum cum illo contraxit. Esse non potest ergo, ut Philippi filia Prusiae nupserit. Quae quum ita sint, Prusiae uxor soror Philippi sive germana sive uterina intellegenda est. — Nomen ei fuisse Apamae, ex eo elucet, quod Myrlea in eius honorem Apamea, ut infra videbimus, appellata est. cf. Eckhel, Doctr. N. II. p. 442. Niebuhr, Kleine Schr. I p. 257.

52) Liv. XXVII, 30. Anno 208 a. Chr. n.

fecit, eoque regem illum omisso Aetolico bello in Asiam traicere coegit. [53]) Quapropter, quum inter Philippum et Romanos pax conveniret, ut a Romanis Attalus, ita Prusias a Philippo foederi ascriptus est. [54]) Quae prima fuit Bithynorum mentio in annalibus populi Romani, sub cuius ditionem non ita longo post tempore redacti sunt.

Primo Macedonico bello confecto Prusias quum aegre ferret, quod plures civitates Graecae in ipsis Bithyniae finibus positae in sua non essent ditione ac potestate, ad eas sui iuris faciendas animum advertit ac primum tempori insidiatus Cianis bellum intulit.

Cius enim urbs, in modico Bithyniae sinu posita, et opportunissimum erat Phrygiae haud longe iacentis emporium [55]) et opibus plurimum valebat, sed ob pravam reipublicae administrationem, quum pessimi quique summam potestatem obtinerent, et in bonos cives, qui sese malis opponerent, administraretur, intestinis motibus ac discordiis, ut antea, sic tum maxime afflicta erat. [56]) Quae res praeter insitum animi impetum animos Prusiae faciebat ad oppugnandam urbem opibus minime infirmam. Neque tamen scio, an voti esset damnatus, nisi tum maxime Philippus, Macedoniae rex, qui post

---

53) Liv. XXVIII, 7. Anno 207 a. Chr. n. Ad hanc Prusiae I. impressionem in regnum Pergamenum referenda sunt Stephani verba s. v. *Βοὸς κεφαλαὶ* „*τόπος, καθ᾽ ὃν ἐπολέμησε Προυσίας πρὸς Ἄτταλον, ὡς Ἐρατοσθένης ἑβδομῇ Γαλατῶν*, ad quae Bernhardy, Erat. fragm. p. 109 annotavit: „alterius Eratosthenis Galatica fuisse opinor.“ Sane ad tempora Prusiae II., ut Gale eodem loco dixit, non pervixit Eratosthenes, quoniam iam anno 194 a. Chr. n. quadraginta fere annos ante Prusiae II. adversus Attalum bellum — 156 a. Chr. n. — mortuus erat. Sed quid obstat, ne Prusiam I. intelligamus? cf. Clinton, f. Hell. III. p. 411 sq.

54) Liv. XXIX, 12 Anno 204, Ol. 144, 1.

55) P. Mela I, 19, 29. Plin. h. n. V, 40.

56) Polyb. XV, 21.

mortem Ptolemaei, Aegypti regis, societatem de dividendo relicti filii imperio cum Antiocho, Syriae rege, inierat,[57] magno cum exercitu, ut manus iniiceret et Ptolemaei infantis et Attali Rhodiorumque illius sociorum possessionibus, ad Hellespontum pervenisset.

Is enim, quum Lysimachia et Chalcedone expugnatis [58] sororis maritum in Cii obsidione offenderet, consiliis cum eo communicatis urbe potitus est [59] atque ingentem et pecuniae et captivorum copiam sibi comparavit. Quae praeda quum a Philippo integra sibi reservaretur, Prusias non mediocrem quidem voluptatem ex eo capiebat, quod propositum suum eius auxilio ad felicem exitum perductum esset, sed iniquo ferebat animo, quod plurimos ex incepto fructus alter percepisset, ipse autem funditus deleta urbe civibusque in servitutem missis nihil, nisi desertum solum, assecutus esset.[60]

Quam ob rem etsi non multo post Myrleae [61] quoque urbis reliquias dono a Philippo acceperat, tamen iam ex eo tempore ab illius rebus animum suum avertit. Neque enim Philippo cum Attalo et Rhodiis bellanti neque iterum contra Romanos gerenti bellum ulla auxilia misit, sed, dum haec ab eo geruntur, primum in urbibus, quas paulo ante deletas sortitus erat, de integro condendis se totum collocavit.

---

57) Polyb. III, 2. XV, 20. App. Mac. 3. Liv. XXXI, 14. Iust. XXX, 2.

58) Polyb. XV, 23, 9.

59) Polyb. XV, 22. XVII, 3. 5. Liv. XXXII, 33. 34. Strab. p. 563.

60) Polyb. XV, 23, 10. Quod ad tempus attinet, expugnata est Cius paulo ante Philippi latrocinium in agrum Pergamenum et ante pugnam navalem ad Chium (cf. Polyb. XVI, 1 sq.), ergo circiter Ol. 144, 2. ineunte anno 202 a. Chr. n.

61) Strabo XII p. 563.

Cius [62]) et Myrlea [63]) resurrexerunt, et altera a regis nomine Prusias, altera in reginae honorem Apamea appellata est.

Deinde, ut consilium suum liberas in Bithynia civitates sui iuris faciendi prosequeretur, simulque tandem et terras et urbes a Nicomede necessitate imposita concessas recuperaret, adversus Heraclienses expeditionem

---

62) Cius, primum a Mysis, deinde a Caribus inculta, dein Milesiorum colonia (cf. Schol. Ap. I. 1177. Schol. Th. XIII, 30, Movers, Phöniz. II. p. 288. Plin. h. n. V, 40.) Philippi aetate cum Aetolis societate iuncta (cf. Polyb. XV, 23, 9. XVII, 3, 12. Schorn, G. Gr. p. 217), Mysiae urbs erat (cf. Cap. I n. 11) loco sita ad mercaturam peropportuno, in recessu sinus inque flumine Cio, qui e lacu Ascania exfluebat. Quam ob rem iam brevi post, quam a Prusia restaurata et Prusias *ἐν θαλάσσῃ*, *ἐπιθαλάσσιος* (cf. Eckhel, D. N. II p. 433 — 37. Plin. Ep. X. 66.) appellata est, (cf. Strab. p. 563, Steph. B. v. *Προυσιάς*) Bithyniae urbs erat florentissima. Romani quum pacem cum Philippo inirent, in pacis leges haec retulerunt: „de Cianorum libertate Quinctium Prusiae Bithynorum regi scribere, quid senatui et decem legatis placuisset.“ Quae quid profuerint Cianis, nescio.

63) Myrlea, colonia Colophoniorum, (cf. Mela I, 19, 26. Plin. h. n. V, 40. Steph. B. v. *Μύρλεια*) ad Propontidem quoque Cianis occasum versus sita erat. De ea duplex est scriptorum memoria. Strabo XII p. 563 et Hermippus in Etym. magno s. v. *Ἀπάμεια* tradiderunt, Myrleam a Philippo deletam et Prusiae donatam ab huius uxore nomen Apameae sibi traxisse. Stephanus autem v. *Μύρλεια* et *Ἀπάμεια* protulit, condidisse urbem Nicomedem Epiphanem, Prusiae II. filium, et Apameam cognominasse a nomine matris. His e scriptoribus cui fides habenda sit, doceat Etymol. mag. l. l. „*Ἀπάμεια, ἣν λαβὼν δῶρα παρὰ Φιλίππου τοῦ Δημητρίου ὁ Ζηΐλας μετωνόμασεν Ἀπάμειαν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς Ἀπάμας. Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων λόγῳ.*“ Id tantum addo, quod Hermippus fuit discipulus Callimachi, Nicomedes autem Epiphanes regnare coepit circiter Ol. 157, 2. — *Ὁ Ζηΐλας* mutandum esse in *ὁ Ζηΐλα Προυσιάς* vel *Προυσιὰς ὁ Ζηΐλα* (cf. Sevinum et Clintonem) per se patet. De Myrlea cf. Suid. v. *Ἀσκληπιάδης*, Eckhel, D. N. II. p. 405. Sestini, Geog. Num. 35. Menn, Meletemata p. 139. Droysen II p. 657.

molitus est.[64]) Qui quum eo tempore multo minores, quam antea, opes ac vires haberent[65]), ipse autem omnibus viribus eos aggrederetur, non ita magno negotio quum Heracliensium agrum, tum vero Cierum et Tium urbes in suam ditionem redegit et, postquam Cierum restituit a seque Prusiadem[66]) appellavit, ipsam Heracleam, quam a mari ad mare circumscripsisset, obpugnavit. Iamque prope erat, multis obsessorum occisis, ut expugnaretur urbs, quum Prusiae, dum ascensum urbis scalis tentat, lapide de propugnaculo iacto crus fractum est. Quo casu coactus, quum magnis cruris doloribus conflictaretur, obsidione urbis omissa lectica[67]) domum rediit eoque e tempore, quia claudicabat, Claudus cognomine appellatus est.

---

64) Hanc Prusiae expeditionem sequitur apud Memnonem Gallorum impressio in Heracliensium fines, quae facta est, priusquam Romani in Asiam transierunt; (cf. Memnon p. 230a. 12 sq.) id quod demonstrat, Prusiam pluribus annis ante 564 ab. U. C. = 190 a. Chr. n., quo anno Romani Hellespontum traiecerunt, fortasse sub tempus belli Macedonici II. Heracleam aggressum esse.

65) Memnon p. 230a. 15.

66) Cierus, quantum ex nomine colligere licet, Graecorum colonia, sita erat ad Hypium, Mariandyniae flumen, et sub radicibus montis Hypii, (cf. Memnon p. 234a. 34. Plin. h. n. V, 43.) quem a Mysis incultum esse Nymphis auctor est. A ceteris urbibus, quibus Prusiadi nomen erat, distinguebatur cognomine *πρὸς τῷ Ὑππίῳ*. cf. Ptolem. V, 1, 13. Eckhel D. N. II p. 433. At persaepe ab antiquis et recentioribus scriptoribus cum illis confunditur, ex. gr. a Memnone p. 233b. 20—29, a Rittero, Erdk. XVIII p. 680, qui laudato Plinii loco V, 43 Hannibalem urbis conditorem — cf. n. 76 — fecit. Notabiles sunt reliquiae urbis, qualescunque nunc exstant prope ad Uskub. Ut enim unum tantum attingam, portae urbis eadem fere ratione exstructae sunt, atque apud Graecos illa aedificia, quae Cyclopica vocantur; qua de re conferas viros doctos, quos Ritterus laudavit, Erdk. XVIII p. 680.

67) Dicuntur Bithyni lecticae inventores fuisse. Cf. Cic. Verr. II, 5, 11. Catull. X, 14. Vetus Schol. ad. Iuvenal. I, 121.

Dum haec in Bithynia geruntur, inter Antiochum, Syriae regem, et Romanos Philippo devicto bellum motum est, quod ad postremum Romani, quum Antiochum e Graecia expulissent, in Asiam transtulerunt. Lucius et Cornelius Scipiones cum magno exercitu per Macedoniam et Thraciam Hellespontum petebant; Antiochus in citeriora Tauri loca undique copias suas cogebat; Rhodii et Eumenes, Pergami rex, qui paucis ante annis Attalo successerat, a Romanorum partibus stabant; cetera cis Taurum Asia Antiochi imperium sustinebat; una Bithynia erat media. Namque Prusias, tametsi iam diu metu angebatur, ne Romani ad omnia regna tollenda in Asiam traicerent ideoque superioribus temporibus ad societatem cum Antiocho ineundam inclinato fuerat animo, tamen eo tempore, quid faceret, fluctuabat [68]). Itaque Antiochus ab Sardibus per legatos eum subinde adhortatus est, ad consilia secum communicanda, nec minus litteris ad eum missis Romanorum in Asiam transitum increpavit [69]): „Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam orbis terrarum, nisi Romanum, imperium esset. Philippum et Nabin expugnatos, se tertium peti. Ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes velut continens incendium pervasurum. Ab se gradum in Bithyniam fore, quando Eumenes in voluntarium servitium concessisset."

His Antiochi admonitionibus quam vehementer Prusias moveretur, non fugit Romanos, qui iam ad Hellespontum pervenerant. Itaque Luc. et Corn. Scipiones, quum multum eorum interesset, ne Bithynia, quippe quae ad Propontidem sita facile Romanorum in Asiam transitum impedire posset, ab Antiochi staret partibus, eodem tempore litteras ad regem miserunt, quibus aver-

68) Polyb. XXI, 9.

69) Polyb. XXI, 9, 1. Liv. XXXVII, 25, 4—8.

terent eum a Romanorum metu [70]), Quod praecipue Cornelius Scipio consecutus est multis ostendendo argumentis, „neque se neque populum Romanum unquam ullo legitimo regi regnum ademisse, contra potius quorundam regum et auctoritatem auxisse et amplificavisse regnum; quin etiam instituisse reges, qui prius non fuissent. Indibilem enim et Colchantem se acceptos in fidem in Hispania, in Illyria Pleuratam reges reliquisse. Masinissam non in patrio modo locasse regno, sed in Syphacis, a quo ante expulsus fuisset, regnum imposuisse; et esse eum non Africae modo regum longe opulentissimum, sed toto in orbe terrarum cuivis regum vel maiestate vel viribus parem. Philippum et Nabin hostes bello superatos ab T. Quinctio; tamen in regno relictos. Philippo quidem, ubi primum exiguum aliquod suae benevolentiae testimonium modo reddidisset, et stipendium remissum [71]) et filium omnesque iuvenes obsides redditos; et quasdam civitates extra Macedoniam, patientibus Romanis imperatoribus, recepisse eum. In eadem dignitate et Nabin futurum fuisse, nisi eum suus primo furor, deinde fraus Aetolorum absumpsisset. Haec diu multumque secum reportaret et remoto de suo regno metu a populi Romani partibus staret; nunquam fore, ut eius consilii ipsum poeniteat.“

Has litteras quum Prusias legisset, non iam de regno a Romanis timebat; posteaquam autem etiam legatio ad eum Roma venit, cuius princeps Caius Livius, qui praetor ante classi praefuerat, colloquiis cum rege habitis edocuit, quanto et spes victoriae certior Romanis, quam Antiocho, et amicitia sanctior firmiorque apud Romanos futura esset, tum destituit Antio-

---

70) Polyb. l. l. 3—12. Liv. l. l. 8 – 13. App. Syr. 23.

71) Liv. l. l. 12 parum accurate tradidit „Philippo anno priore etiam stipendium remissum esse,“ quod eo demum anno remissum est, quo Scipio ad Prusiam has literas misit. Cf. Liv. 37, 7. App. Syr. 23.

chum in gratiam Romanorum [72]). Quibus tamen adversus Syros pugnantibus auxilia non videtur dedisse; neque enim ullus rerum scriptor [73]) Bithynos in sociorum numerum retulit, neque Romani, devicto Antiocho, quum amplissimis praemiis et Eumenem et Rhodios afficerent, Prusiam quoque liberaliter tractaverunt. Tantum enim abfuit, ut Bithyniae quoque regno paullulum terrarum, quibus Antiochus cedere debuerat, adiecerint, ut Prusiam etiam Phrygiae, quae ad Hellespontum sive minor vocabatur, quamque illum ipso belli cum Antiocho tempore occupavisse verisimile est, Eumeni cedere coëgerint [74]). Hac Romanorum asperitate iratus infestissimo illis viro, Hannibali, qui, Syria fugata, ne ab Antiocho ex foederis lege dederetur, Cretaque relicta, quod apud Cretenses parum tutum se intellexisset, in Bithyniam profectus esset, refugium dare non dubitavit [75]). Quo adiuvante postquam tertiam iam urbem, nomine suo insignem, Prusam [76]) prope ad Olympum

---

72) Polyb. XXI, 9, 12. Liv. XXXVII, 25, 13.

73) Unus Appianus Syr. 23 tradidit, *οἷς ὁ Προυσίας ἡσθεὶς συνέθετο συμμαχήσειν ἐπ᾽ Ἀντίοχον,*" sed c. 44. in sociorum numerum non retulit Bithynos.

74) Strab. p. 543, 563. Quod Livius 38, 39 tradidit, Romanos Eumeni Mysiam restituisse, quam Prusias rex ademisset, satis refutatur Polybii testimonio: XXII, 27: „*Μύσους, οὓς πρότερον αὐτὸς παρεσκευάσετο.* cf. Polyb. V, 77.

75) Iustin. XXXII, 4. Nep. Han. 12. Liv. 37, 45. 38, 38. Hannibalem, priusquam ad Prusiam venisset, etiam in Armenia commoratum esse, (Strab. p. 528. Plut. Lucull. 31) fabula est.

76) Plin. h. n. V, 43. Tz. Chil. III. 964. Ad multo priorem aetatem Strabo et Stephanus Byzant. Prusae conditionem retulerunt; ille enim tradidit p. 564 „*κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος*, hic s. v. *Προῦσα* „*κτίσμα Πρ. τοῦ πρὸς Κῦρον πολεμήσαντος.*" Haec vero memoria duobus potissimum de causis non digna est fide. Primum enim si quaeritur, quis fuerit ille Prusias, Croesi vel Cyri aequalis, iam nemo est, qui eum non ignoret, nisi nonnulli recentiores, qui Bithyniae principem intellegi voluerunt. cf. Cap. I n. 24. Sane proxime ad verum ac-

montem, quem Mysium appellabant, condidit, summa senectute diem obiit supremum circiter annum, ut videtur [77]) 287/86 a. Chr. n.

---

cedit, iam Croesi aetate Bithyniae principes fuisse, sed longissime quoque abhorret a vero, tunc Bithyniam adeo latis circumscriptam fuisse finibus, ut Olympum Mysium attingeret.

Deinde autem Dio Chrysostomus, vir doctissimus, Prusanus, ideoque gravissimus auctor earum rerum, quae ad Prusam pertinent, haec dixit, Orat. 44 p. 198 ed. R. „οὐ μεγίστη τῶν πόλεων οὖσα οὐδὲ πλεῖστον χρόνον οἰκουμένη.“

Quae quum ita sint, merito Strabonis editores locum laudatum librariorum manu depravatum habuerunt atque coniecturis eum sanare conati sunt. Ex quibus tamen minime comprobaverim illam Groskurdi „κτίσμα Προυσίου ἤ, ὥς ἔνιοί φασι, Κροίσου τοῦ πρὸς Κῦρον πολεμήσαντος.“ Quum enim apud Stephanum eadem fere verba, atque apud Strabonem legantur, cum veri specie contendere mihi videor, Stephanum ea ex Strabonis libro in suum librum transcripsisse, librariorum igitur peccatum solo in verbo Κροῖσον vel Κῦρον situm esse. Ergo pro Κροῖσον aliud nomen restituas necesse est, fortasse, ut mea fert opinio, Κίον; Cio enim urbi Prusias I. anno 202 (cf. n. 59 et 62) et bellum intulerat, ut ipse Strabo in antecedenti pagina 563 tradidit, — quae causa est, cur Κίον, non Κίερον (cf. Palmer. Exerc. p. 335, Wessel. ad Hierokl. p. 693), cuius Strabo nusquam mentionem fecit, restituendam putem. — et facillime librarii Κίον apud Strabonem in Κροῖσον, apud Stephanum in Κῦρον mutare potuerunt. Hodie Προῦσα ἡ πρὸς Ὀλύμπῳ τῷ ὄρει (cf. Ptolem. V, 1, 14, Eckhel D. N. II p. 432) Brussa vocatur.

77) Quo tempore Prusias Claudus mortuus sit, quaestio est subdifficilis, qua in absolvenda viri docti in diversas sententias discesserunt. Quam ob rem paulo accuratius exponendum mihi putavi, quibus rationibus inductus circiter annum 186 a. Chr. n. Prusiam obiisse coniiciam.

Memn. p. 230 a. 5 sq. tradidit, Prusiam omissa Heracleae obsidione in Bithyniam reversum non iam multos ibi annos vixisse; (κἀκεῖ βιοὺς ἔτη οὐ πολλά). Obsedit autem Prusias Heracleam, ut supra n. 64 demonstravimus, sub tempus belli Macedonici II. aut certe paulo post finem eius belli. Itaque si ex solo laudato Memnonis loco quid eluceret de tempore Prusiae mortis, non iniuste Vaillantius p. 321 Prusiam circiter annum 564 a. u. c. = 190 a. Chr. n., quo Antiochus a Romanis devictus est, mortumu esse coniecisset. Nam usque ad eum annum Prusiam I. vixisse,

Prusias Claudus vir fuit strenuus, bellicosus, ad suscipienda bella alacri semper ac prompto animo, in

---

apparet e Polybii loco XXI, 9. cf. n. 68. Sed apud Strabonem p. 563 haec leguntur: „Οὗτος δ' — Zeïlae filius, Cii et Myrleae restaurator — ἐστιν ὁ Προυσίας ὁ καὶ Ἀννίβαν δεξάμενος ἀναχωρήσαντα δεῦρο μετὰ τὴν Ἀντιόχου ἧτταν, καὶ τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας ἀναστὰς κατὰ συμβάσεις τοῖς Ἀτταλικοῖς." Quod Strabonis testimonium quin fide indignum habeamus, quum causae omnino nihil apud alios scriptores inveniatur, Hannibal autem, postquam inter Antiochum et Romanos pacis leges constitutae sunt, anno igitur 188 a. Chr. n. (cf. Polyb. XXII, 24. 25—26. Liv. XXXVIII, 38—39) Syria fugata primum in Creta commoratus sit ac deinde (Plut Flamin. 20) in Bithyniam sese contulerit, Phrygiae denique Eumeni cedere Prusias aestate demum anni 188 (cf. Polyb. XXII, 27. Liv. XXXVIII, 39.) coactus esse possit, Prusiam ante annum 187 mortuum esse sine ulla dubitatione a me negatur. Ita tempore constituto, ante quod Prusiae mors incidisse nequit, iam exsistit quaestio subdifficilior, post quod tempus Prusias decessisse nequeat. Hac in re Clintonis aliorumque sententiae eo inclinant, ut Prusias I. usque ad mortem Hannibalis vixerit, quin etiam fuerit perfidus ille Hannibalis proditor. Quae altera res quum in eius ingenium ac mores parum conveniat, et Romanorum metu et senio virum antea constantem in levem et inconstantem mutatum faciunt. Quod si verum esset, profecto dolerem; minime vero confirmatur scriptorum testimoniis. Neque enim apud Livium neque apud ceteros scriptores, qui de bello, quod a Bithynis Hannibale duce contra Eumenem, Pergami regem, gestum est, et de Hannibalis morte memoriae aliquid prodiderunt, unum invenio verbum, quo significetur, Prusiam I. intelligendum esse eum, qui et Eumeni Hannibalis auxilio bellum intulerit et Hannibalem Romanis prodiderit. Contra potius ex Plutarchi quodam loco recte intellegere mihi videor, tempore mortis Hannibalis iam Prusiam Cynegum, Prusiae I. filium, obtinuisse regnum Bithyniae. Dixit enim Plutarchus, Flamin. 20 p. 380 (Ἀννίβας) ἀεὶ δὲ ἀπιστῶν τῇ τοῦ Προυσίου μαλακίᾳ. Huius vocabuli — μαλακία — vis et notio minime in Prusiae patris, optime autem in Prusiae filii ingenium ac mores convenit; ille enim vir erat fortis, strenuus, maxime industrius; hic, homo mollis, animo et corpore effeminatus, venationem etiam, cuius vehementer studiosus erat, voluptatem virtuti simillimam, ignavia mollitieque infamabat. Quae quum ita sint, mihi quidem laudata Plutarchi verba firmissimo sunt argumento, Prusiam II. fuisse

agendo prudens, imprimis autem industrius[78]) et in amplificando regno et in excolendo. Namque ad Parthenium usque et Rhyndacum flumina propagavit Bithyniae fines quatuorque urbibus conditis opulentius regnum reddidit. Plurimum valuit opibus atque armis; Byzantiis, Heracliensibus, Gallis superior fuit; insignis, ut paucis dicam, memoria rerum gestarum.

Hannibalis proditorem, Prusiam I. autem (Claudum) paulo post Hannibalis adventum e vita decessisse („ἀεὶ δὲ ἀπιστῶν" significare mihi videtur, Hannibalem iam ab initiis Prusiae II. regni sibi suisque rebus timuisse.) Confirmant hanc coniecturam etiam Memnonis verba, quae supra laudavi „κἀκεῖ βιοὺς ἔτη οὐ πολλά"; nam parum accurate ea Memnon dixisset, si Prusias ad duodecimum fere annum post expeditionem illam adversus Heraclienses (195—183 a. Chr. n.) in vivis mansisset. — His argumentis satis demonstravisse mihi videar, me non temere Prusiam mortuum posuisse circiter annum 186 a. Chr. n.

78) Memnon p. 229 b. 38. „δραστήριος ὢν καὶ πολλὰ πράξας."

VITA.

Natus sum Carolus Antonius Eduardus Nolte Warburgi Guestfalorum anno h. s. XXXV patre Antonio, matre Guilhelmina e gente Meyer, quos adhuc in vivis esse maximo opere gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Puer XII annorum progymnasio Warburgensi traditus sum, quod Augustus Havenecker dirigit, vir praestantissimus, unice de me meritus, quem gratissimo semper animo colam, deinde gymnasium Paderanum directore Ahlemeyero florentissimum quatuor annos frequentavi. Anno LIV maturitatis testimonio munitus, ut ad studia philologica et historica adirem, per septem anni dimidia disserentes audivi viros clarissimos: Monasterii Deyksium, Heisium, Karschium, Reinkium, Rospattium, Schlüterum, Winiewskium; Bonnae Brandisium, Diezium, Iahnium, Loebellium, Monnardium, Ritschelium, Schopenum, Welckerum; Berolini Bekkerum, Koepkium, Lepsium, Rankium, Raumerum, Ritterum. Omnibus hisce viris optimis doctissimis ex animi sententia gratias ago.

Vere anni LVIII cum nobilissima domina, vidua de Radowitz, quae custodem me comitemque filio addiderat, Berolino Sigmaringiam profectus aliquamdiu commoratus sum in domo Rudolfi de Sydow, viri illustrissimi, provinciae Zolleranae tum procuratoris, cuius propter eximiam erga me humanitatem et benevolentiam mihi pie semper recolendam fore memoriam lubentissime hic profiteor.

Auctumno anni LVIII Augustae Trevirorum voluntarium militiae munus, quod dicunt, sustinui; quo praeterito in urbe patria modo, modo Monasterii considens ad mea litterarum studia me contuli.

THESES.

I.

Strab. XII. p. 563 „*Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος*“ *Κροῖσον* in *Κίον* mutari velim.

II.

Pomp. Tr. prolog. XXVII: „Ut Ptolemaeus ad eum denuo captum interfecerit“ legendum est pro „ad eum“ Eudemum.

III.

Falsa est Reinkingii et Essellenii sententia, cladem Varianam apud Beckum factam esse.

IV.

Bellum Trojanum nihil aliud esse, quam migrationem Aeolicam, Rückertius et Heffterus recte coniecerunt.

V.

Quaestores parricidii et aerarii non idem, sed inter se diversi magistratus fuerunt.